C. CORNELII TACITI
AGRICOLA.

C. CORNELII TACITI

AGRICOLA.

RECENSUIT

P. HOFMAN PEERLKAMP.

EDITIO ALTERA EMENDATA ET AUCTA.

LEIDAE, APUD E. J. BRILL.
MDCCCLXIV.

ACADEMIAE GRONINGANAE

NATALEM

DUCENTESIMUM QUINQUAGESIMUM

CURATORIBUS PROFESSORIBUS ALUMNIS

ALUMNUS VETUSTISSIMUS

P. HOFMAN PEERLKAMP

GRATULATUS

HANC AGRICOLAE TACITINI EDITIONEM

D. D. D.

XVII KAL. OCTOBR. MDCCCLXIV.

PRAEFATIO.

Quem librum Taciti de vita et moribus Agricolae a. MDCCCXXVII edidi, hunc, emendata et aucta annotatione, iterum edidi. Forte ita incidit, ut, quo mense in lucem proditurus esset, eodem natalis Academiae Groninganae celebraretur ducentesimus quinquagesimus.

Diem Curatoribus, Professoribus, alumnis ex animi sententia gratulandum putavi, alumnus, si non omnium vetustissimus, vetustissimorum certe unus, nomine iam XIII Aug. MDCCCI in album relato.

Quodsi longum praeteriti temporis spatium respicio, graves profecto caussas habeo, cur animum Deo gratissimum gerere debeam, memorem, quot quantis me semper beneficiis auxerit. Privata quidem in sinu tacito pia mente aestimare satius est: sed alia quoque sunt, mihi cum omnibus, qui Neerlandi esse et haberi gestiunt, communia: eaque hic silentio dissimulare non potui. Salva scilicet est patria, salva gens Arausia. Hoc mihi consideranti ingens miraculum videretur, nisi staret persuasio, prospera et adversa nationum sic a divino numine dispensari, ut illae tandem aliquando sapere suaeque ipsae auctores fortunae fieri discant.

Vidi Guilielmum V, Principem Arausium, nondum exsulem. Vidi libertatis donum ferentes nobis Francos., saltantes circum arborem, galero Iacobino ornatam, Batavos, mutatam semel atque iterum regiminis formam; tum Pensionarium, mox regem Ludovicum Napoleonem, deinde Imperatorem Napoleonem I, denique reges Neerlandos Guilielmum I et II. Omnia, ceu fumus, in auram evanuerunt. Hoc multis magnisque calamitatibus expertum tenemus, nostram quoque Deo esse curae felicitatem, cum felicitate gentis Arausiae ita copulatam, ut vinculum nunquam sine tristi utriusque malo fuerit solutum.

Exitus futuri temporis obscura nocte premitur. Maneat amor inter Neerlandos et Arausiam gentem, quae nata videtur, ut, tranquilla in concitatis civilium contentionum fluctibus, prudenter fortiterque clavum reipublicae tenens, iustam libertatem ab ambitione et studiis optimatum popularium tueatur, artes et disciplinas foveat, exemplo boni magni ac vere Christiani, Guilielmi I, cuius effigiem in senaculo conditae ab ipso ante tria fere secula Academiae nemo Neerlandus unquam sine sacra quadam veneratione contemplari potuit.

Faxit Deus O. M. istum necessitudinis et caritatis sensum in animis regum populique perpetuum, neque eripi a quoquam aut surripi sirit! Sic veteres discordiae, quas funditus exstirpatas libenter credimus, nunquam in arborem pestiferam pullulabunt, nec populus, praeda in medio positus, victrici factioni serviet. Sic patria florebit, florebunt Academiae, et Groningana natalem trecentesimum laeta adspiciet.

Scripsi Hilversumi a. d. XIII. m. Augusto MDCCCLXIV.

AGRICOLA.

I. Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam

Tacitus in hoc libello ostendere voluit, quid post silentium quindecim annorum etiam nunc scribendo valeret. Ergo vocem inconditam et rudem, quantum posset, vitavit. Studium gravitatis, ordinis, elegantiae, praesertim in exordio elucere debuit. Et apud Historicos elucere solet. Testor Sallustium, Livium, ipsum Tacitum in principio Annalium et Historiarum, et ex recentioribus addo Tacitum alterum, nostratem Hugonem Grotium. Qua propter recte me fecisse arbitror, si hoc exordium diligenter ad istud studium exegerim. Universe tanta obscuritate mihi laborare videtur, ut sic a Tacito fuisse compositum credere non possim. De obscuritate quidem hoc satis erit dictu, duodecim ac fortasse plures optimos interpretes diversas de plerisque locis sententias tulisse. Propterea vero simile putem manus alienas in primam libelli partem crudeliter saeviisse.

Antiquitus usitatum. Verba non esse puto Taciti. *Usitatum* hic parum significat, quia antiquitus non modo usitatum, sed frequentissime usitatum mox ipse affirmat, et discrimen inter *priores* et suam aetatem ostendit et caussas explicat. Praeterea apparet senarius: *antiquitus usitatum ne nostris quidem.* Quod Tacitum non latuisset, cum sonus ipse tam clarus sit, ut statim audire debuerit. Tales Iambici Senarii pronuntiatione ipsa produntur. Scripsisset saltem: *usitatum antiquitus*, *olim usitatum*, vel *apud priores usitatum*, et mox *sed antiquitus* pro *sed apud priores.* Huiusmodi versus saepissime indicia sunt loci a librariis corrupti. De qua re semel dicendum arbitror, quia hic quoque libellus vitiis, inde ortis, inquinatus est. Novimus bonos scriptores, quantum possent, cavisse, ne versus in sermone ponerent. Interdum imprudentibus exciderunt, nec magistri, ubi deprehenderint, notare omiserunt, sed, ut intra historicos maneam, in Sallustio, Livio, Tacito tanta versuum copia invenitur, ut culpa potius librariis quam scriptoribus tribuenda esse videatur. Hi centies verbum transponebant, semel transpositum, errore licet cognito, non corrigebant, ne scriptura macularetur. Alii versus oriebantur ex glossis, vel supra voces, vel in margine positis. Librarios in

incuriosa suorum aetas omisit, quoties magna aliqua ac no-

hac caussa plurimum esse culpandos, ex Quintiliano demonstrari posse arbitror. Hic in Instit. Orat. IX. IV. 72. scribit: *Versum in oratione fieri, multo foedissimum est, totum; sicut etiam in parte, deforme: utique si pars posterior in clausula deprehendatur, ac rursus prior in ingressu. T. Livius hexametri exordio coepit:* Facturusne operae pretium sim. *Nam ita edidit, estque melius, quam quomodo emendatur.* De partibus versuum, quod *deforme* vocat, tacebo. In nulla enim pagina trium historicorum non huiusmodi partes deprehenduntur. Dicam de totis versibus, quod magister *foedissimum* vocat. Attulit ex Livio partem, cum sit totus hexameter. *Facturusne operae pretium sim, si a primordio.* Est spondaicus, sive *io* per Synaeresin contrahatur, sive per Synaloepham in prima verbi sequentis vocali absorbeatur. Et sequitur statim initium novi hexametri: *Urbis res populi Romani.* Sunt quatuor pedes, uti quatuor *facturusne operae pretium sim.* Sed de *totis* versibus agimus. Ecce in eadem Livii praefatione integrum hexametrum: *Haud in magno equidem ponam discrimine. Ad illa.* Quintilianus quoque in Ciceronis orat. in L. Pisonem notavit: *Proh Dii immortales, quis hic illuxit dies!* Displicuit illi, credo, *hic illuxit dies*, quod tres pedes extremos senarii efficit. Cicero hic fere incidisset in totum senarium: *Proh Di immortales, hic quis illuxit dies!* Posito *quis* ante *hic* vitavit. At in loco Liviano quot toti senarii! *Semper scriptores, aut in rebus certius: Ego contra hoc quoque laboris praemium petam: Poëticis magis decora fabulis: Licere oportet consecrare origines: Utcunque animadversa aut existimata erunt: Quae vita, qui mores fuerint, per quos viros: Deinde paulatim disciplina, velut: Foedum exitu, quod vites. Ceterum aut me amor.* Jam Quintilianus ista in Livio vel non animadvertit, vel usus est exemplari, in quo talis erat verborum ordo, ut totus aliquis versus non conspiceretur. Si non animadvertit, omni iudicio aurium caruit. Sed habuit acutum et superbum. Accusandi ergo librarii, quorum negligentia in Livio versus millenos peperit, qui transposita una voce fiunt et intereunt. Quanta cura ipse vitare studuerit, mihi praesertim constitit ex prima historiarum parte. Natus erat poëta; amabat veteres Romanos historicos, id est, poëtas, Ennium ante omnes. Animus ista scribenti non tantum fiebat antiquus, sed etiam scribendi color. Non latet, quam difficile saepe illi fuerit metro abstinere. Versus nempe Enniani erant dissolvendi. Et tamen ubique membra disiecti poëtae ita conspiciuntur, ut sine labore colligi et concinnari possint. Sed ea quaestio huc minus pertinet. Hoc, ni fallor, ostendi, totum illud μετροειδὲς plerumque librariis tribui oportere, qui transpositis vocibus vel adiectis glossis versum oriri plerumque non viderent, vel, si viderent, ornamentum scriptori inde accessisse arbitrarentur.

Virtus vicit ac supergressa est. Virtus commune illud civitatum vitium vicit. Talis enuntiatio in *vicit* absoluta est. Si quid addendum, additur de tempore, de artibus, et si qua fuerint insignia victricis adiumenta vel impedimenta. Si sic additur *supergressa*, vis sententiae enervatur. Nec vera videtur Latinitas. *Supergredimur* locum arduum: cogita montem; hunc debemus superare, eniti ad summum cacumen; *supergressi* vicimus, nec quid-

bilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque

quam deinde obstat, quominus eo perveniamus, quo animus contendebat. Talis est v. c. imago illa Hesiodea, qua *viam virtutis arduae*, ut vocat Horatius, depinxit: *μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον. ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηαι, Ῥηιδίη δ' ἤπειτα πέλει.* quae Ovidius ad iter Phoebi in coelo transtulit: *Ardua prima via est, et qua vix mane recentes Enituntur equi; medio est altissima coelo. Ultima prona via est.* Ita *supergredi*, ut caussa, prius est quam *vincere*, effectus. Optimi scriptores talem verborum consecutionem, qualis est in rebus, servant. Sic dicunt *gentes victae et domitae*, *domitae et fractae*, *victi et triumphati*, non contra. In loco Taciti, de quo agimus, pro *vicit ac supergressa est* aliud requiritur, v. c. *virtus supergressa est ac vicit vitium.* Hoc fortasse Tacitus noluit propter sonum ingratum *vicit vitium.* Potuit *virtus victrix supergressa est*, vel *virtus vicit supergressa vitium.* In eo *vicit* absolute poneretur, *vicit* pugnam; quae perpetua est magnae virtuti cum invidia. Invidia tandem exclamare cogitur illud: *ὦ ἀρετή*, *νενίκηκας*, *vincis, vicisti virtus*! virtus vicit postquam supergressa est vitium, superior, maior facta vitio, vitium infra se posuit, se supra sustulit. Significatio absoluta illa in *νικᾶν* et *vincere* plerumque est aliquid per iram concedentium. v. Casaub. ad Suetonii Caesar. I. Saepe quoque de victis, qui manu aliisque modis resistunt, usurpatur. Ovid. Amor. I. II. 51. *Adspice cognati felicia Caesaris arma. Qua vincit, victos protegit ille manu.*

Ignorantiam recti et invidiam. Quid *ignorare* interdum significet, apparet v. c. ex Terent. Phorm. II. III. 10. *Quia aegra relicta est misera, ignoratur parens, Negligitur ipsa.* ubi Donatus: "non agnoscitur, ignorarique fingitur." Huiusmodi homines rogare solent; *quis, unde es?* Ovid. Heroid. II. 105. *Utque tibi excidimus, nullam, puto, Phyllida nosti. Hei mihi! si, quae sim Phyllis et unde, rogas.* Fortasse ex Philodemo: *Ἡ δὲ πάρος σε καλοῦσα μύρον καὶ τερπνὸν Ἄδωνιν Μηνοφίλα, νῦν τοι τοὔνομα πυνθάνεται. Τίς; πόθεν;* Qui ita rectum *ignorant*, fingunt se ignorare, rectum non agnoscunt. Sunt quoque, qui non ignorent quidem rectum, sed ipsi facere non curent, in aliis tamen non contemnant, sed potius laudent, similes Atheniensibus apud Ciceronem de Senect. 18. qui in theatro locum non dederant civi suo seni, dantes legatos Lacedaemonios clarissimo plausu exceperunt: tum quidam Lacedaemonius: *Athenienses scire, quae recta essent, sed facere nolle.* Datur et tertium genus, eorum, qui ita nati educatique sunt, ut propter stupiditatem *rectum ignorent.* Horum *ignorantia* non *vincitur*, quia virtuti non resistit: neque *ignorantia* eorum, qui similes sunt Atheniensibus, vincitur, quia non ignorant, sed sciunt quae recta sunt: ad neutrum igitur genus victoria virtutis pertinet. Pertinet ad solam invidiam, quae *rectum ignorat*, non agnoscit. Haec est natura, voluntas et studium invidiae, ut agnoscere nolit. Illud *studium* an *ignorantia* dici possit, dubito. Si non potest, Tacitus scripsit: *quoties magna aliqua ac nobilis virtus victrix supergressa vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorationem recti et invidiam.* Pro *invida ignoratione recti* scripsit *ignoratio recti et invidia.* Nota figura *ἓν διὰ δυοῖν*, et Tacito amata. Ea tunc praesertim utitur, quum per duo substantiva vim

civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed

sententiae addendam putat, maiorem, quam esset in substantivo et adiectivo: ita Agric. IV. *Pulchritudinem ac speciem excelsae gloriae.* XVI. *ira et victoria.* Hic autem tantummodo agitur de invidia. Ergo adiecit *vitium*, non *vitia*.

Ita feci, quantum potui, ut probabilem aliquam sententiam binis locis conciliarem. Interea profiteor, multa mihi hic interpolata videri, neque Taciti esse nisi haec: *Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit. Sed apud priores* sq. Tacitus probe sciebat, quanta gravitas esset in simplicitate exordii. Quod feci, eiectis spuriis, est simplex et grave: adde eiecta, fit tumidum et spiritus non modo oratorii, sed fere poëtici. Excutiamus singula. *Quoties magna aliqua ac nobilis virtus.* Tacitus cogitat suam aetatem. Fac eum fuisse natum a. 57 post Chr. scripsisse Agricolam a 97. Finiamus tempora et aetatem, quam *nostram* vocat, annis quadraginta. Vidit adeo Neronem, Galbam, Othonem, Vitellium, Vespasianum, Titum, Domitianum. Galba, Otho et Vitellius cuncti vix unum annum imperaverunt. Titus paullo plus quam biennium. Sub Tito exspectasses *magnam aliquam virtutem.* Fuisse, non constat. Nero annos fere quatuordecim, Vespasianus decem, Domitianus quindecim rei publicae praefuit. His imperantibus, raram fuisse illam virtutem, constat, rariores etiam, qui posteris tradidere. Quod quanto cum periculo fieret, Tacitus exemplo Aruleni Rustici et Herennii Senecionis docet. Hoc autem loco dicit: ne nostra quidem aetas virtutem laudare omisit, quoties vicit invidiam. Virtus tam rara postulabat, ni fallor, *si quando.* Restringe significationem adverbii *quoties*, semper maiorem numerum indicat quam in tempora praesertim Neronis et Domitiani cadit; neque maiorem modo numerum, sed etiam promptum et nihil metuentem animum, quo celeberrimus quisque ingenio, simul atque virtus apparuisset, ad eam laudandam properabat. Sed quando exstitit illa clarorum virorum scriptorumque copia? Aetas Taciti, praecipue in hac caussa, quindecim annis Domitiani ante Nervam censetur. Quomodo viri clari et qui scribendo aliquid valerent saevitiam imperatoris evadere potuerunt? Otio, quiete, et per silentium. *Magna aliqua ac nobilis virtus.* Qui antiquitus exponebant de vita clarorum virorum, iidem publicas privatasque illorum virtutes celebrabant. Cur isti tantum dicuntur *vitam moresque tradere*, recentiores *magnam aliquam ac nobilem virtutem tradere?* ad utramque aetatem, libertatis et principatus, verba, ut leguntur, referri non possunt. Nec satis modeste *magna aliqua ac nobilis.* Vetus aetas, testibus historicis, paucissimos tales viros habuit. Quid breve annorum spatium, et virtuti inimicum, de quo hic agitur? *Vicit ac supergressa est.* Omnino sufficiebat *vicit.* Ita solent boni scriptores. Sallust. Iugurt. 10. *Quod difficillimum inter mortales, gloria invidiam vicisti.* Justin. I. 2. *Magnas deinde res gessit; quarum amplitudine ubi invidiam superatam putat, quae sit fatetur.* Adde Sallustio, *invidiam vicisti ac supergressus es;* Iustino, *invidiam victam ac superatam* (nam qui invidiam *superavit* is eam *supergressus est*) neuter, credo, vellet. *Vitium parvis magnisque civitatibus commune:* ego primum non video, quid totum illud de *vitio* ad sententiam loci faciat. Tum ipsa sententia

apud priores ut agere digna memoratu pronum magisque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam

tam vulgaris est, ut, praesertim in hoc exordio, puerili doctrinae ostentationi similis videatur. Neque vero minus, imo multo magis ad aetatem antiquam pertinet, qua claros viros semper invidia laborasse legimus. Et quam invidiam dicamus aetatis *suorum incuriosae?* Quae invidet, minime est incuriosa. Romani, ait Tacitus de Arminio Annal. II. 88. *vetera extollimus, recentium incuriosi.* Ergo Arminius non perinde celebris erat Romanis, dum interea canebatur apud barbaros. Nemo certe Arminio invidebat. Quis autem sub Domitiano invideret virtuti, quam sciret esse letalem? inimicus fortasse unus alterque ex invidia gauderet virtute inimici, ceteri, quicumque paullo minus essent incuriosi, miserarentur clarum virum. Clarus et magnus vir erat, qui otio, quiete, obsequio, modestia hoc agebat, ne sua virtus conspiceretur. Ipse Agricola istius prudentiae exemplum proponitur. Magna illa ac nobilis virtus in eo erat. De factis et moribus viri nec mortui quisquam scribere sustinuit. Tacitus excusat sua tempora, cur demum post Domitianum fecerit. Considera porro ista: aetas nostra non omisit posteris tradere virtutem, *quoties ea vicit invidiam.* Igitur virtus prius vincere debebat invidiam, quam scriptores traderent. Vulgo invidia non vincitur, nisi post mortem viri magna ac nobili virtute excellentis. Notum est Horatianum: *Virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quaerimus invidi.* Rarum exemplum, nisi quae hic narrantur, idque sub tyrannis. Sed fac invidiam esse victam, vivente viro magno cui invidetur; victoria non paucis, sed multis annis post reportatur. Ergo scriptores ad laudandam virtutem non veniunt, nisi multo serius, quam quadriennio, quum Tacitus ad laudandum Agricolam venit. *Parvis magnisque civitatibus commune.* Mirum. Satis erat dixisse *civitatibus.* Romana civitas erat *magna*, tam magna, ut, si quae praeterea exstarent, ea una omnes complecteretur. Sed quaenam in illa pace Romana exstabant? Ergo referendum quoque ad antiquas, quae ante Romanam, et Romanae aequales fuere. Tum sententia alio modo erat conformanda, v. c. *vitium parvis* (vel potius *magnis parvisque*) *magnisque civitatibus commune, nec nostrae insolitum. Ignorantia recti* quam difficilis intellectu, ostendi. Ut contenti esse poteramus solo verbo *vicit*, ita poteramus solo substantivo *invidia.* Suspicor omnia ex margine in textum esse translata. Glossator, puto, in margine annotaverat locum Nepotis in Chabria 3. *Est enim hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriae comes sit.* Recte Nepos. Reddit caussam, cur Chabrias non libenter esset ante oculos civium suorum. In Agricola ista nihil significant, nisi ut doceatur, quod omnes norant, nec ad locum pertinebat. Qui ex margine transtulit glossator, hoc saltem intellexit, *liberis* esse mutandum. Hinc, credo, accepimus *parvis magnisque.*

Pronum magisque in aperto erat. Tacitus in hoc libello saepe coniungit adiectiva, idem fere significantia, sed in quibus eadem metaphora conspicitur: talia sunt v. c. *bona et integra natura, incensus et flagrans animus, sublime et erectum ingenium, excelsa et magna gloria, pulchrum ac de-*

virtutis memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam

corum, et fortasse plura. Atque ita Sallust. Iugurt. 5. *quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint.* Ea Metaphorae convenientia hic non conspicitur. *Pronum* ex loco superiore ad inferiorem inclinat: opponitur *arduo; apertum* opponitur *clauso.* Utraque Metaphora significat nullum impedimentum prioribus obstitisse, quo minus memoratu digna agerent. In his et duplex Metaphora minus grata, et voluntas et studium priorum minus apparet, quam sententia postulat. Quod comparant ex Agric. 33. *Quando dabitur hostis? Quando acies? Veniunt, e latebris suis extrusi, et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa.* Hoc non simile est. Vota virtusque *in aperto* proprie dicitur. Hostes, quos vobis dari optastis, sunt in aperto; virtus adeo, contra hostes ostendenda, simul est in aperto. Sed vincendum est. Sic omnia porro erunt prona et facilia; ut Sallust. Iugurt. 112. *Omnia virtuti suae prona esse.* In Tacito hic melius putem *promptum magisque in aperto erat.* In eo cernitur una imago. Quod promptum est, est *apertum*, quod *apertum* est, est promptum. Cuicumque lubet et animus est, sumit et arripit agere memoratu digna, et celebrare licebat tam duci quam scriptori, et occasionem promptissimus quisque captabat. Temporibus autem Taciti contra erat. *Magis* semel positum, bis cogitandum puto, quasi legatur: *promptum magis, magisque in aperto erat.* Sallustius l. l. *magis* repetiit. Alibi, ut Iugurt. 83. *ille probare, partim abnuere*, cogitandum relinquit. Consuetudinem sic loquendi exposuere Gronov. ad Liv. XXXIII. 12 et Ruhnk. ad Vell. Paterc. II. 110. Kritzius iudicat, *pronum* a Tacito simpliciter enuntiari, *magisque in aperto* per comparationem, quod cur fieri non posset, caussam non esse. Sane fieri potest. Sed fieri quoque potest, ut comparatio sit in utroque. Cum usus non obstet, sententiae aptius iudico, *magis* bis cogitari.

Ad prodendam virtutis memoriam. Quodsi voces, brevi intervallo sine vi iteratae, sunt indicium negligentiae, ut omnes rerum periti arbitrantur, Tacitus *virtutem* et *virtutes* sic iterare non potuit. Inspice hoc unum parvum caput: nobilis *virtus*, memoria *virtutis*, *virtutes* aestimantur, *virtutibus* infesta. Hic certe sufficiebat ad *prodendam memoriam*, scilicet rerum *memoratu dignarum:* clari viri egerunt digna memoratu, scriptores prodidere memoriam.

Sine gratia aut ambitione. Nullo incitamento opus erat, ut proderent. Tam promptum quoque et in aperto scriptoribus, ut statim, qui vellet, facta moresque clarorum virorum explicaret. Ita et Tacitus memoriam Agricolae prodidit, sola pietate ductus.

Plerique suam ipsi vitam narrare. Plerique numerum quemdam significat, alteri numero minori oppositum. Ipsa significatio ex sententia loci efficitur. Ergo nunc intelliguntur *plurimi*, nunc *permulti*, *multi*, *plures*, *nonnulli.* Minor numerus *plerisque* saepe subiungitur, ut v. c. Agric. 40. *plerique-pauci.* Usus vocis Tacito est admodum frequens, nec quemquam in eo legendo vel mediocriter versatum latuit. Iam Rykius et alii ante Rykium ad Histor. 1. 87. animadverterunt. Itaque non erat, cur vir doctus in Observat. Miscell. Crit. Vol. XIII.

narrare fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sunt, nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi

p. 270 scriberet, Iulium Obsequentem cap. 110. *pleraque* posuisse ex usu hactenus minus noto pro *quaedam*, *nonnulla plura*. Postea quidem viri docti certatim explicaverunt, nondum, puto, ad rationem quandam, v. c. quam supra proposui. In loco Taciti dictu difficile est, quis minor numerus maiori opponi possit. Sive *plerisque* interpretere *plurimos*, *plures*, sive *multos*, *quosdam;* qui *arbitrati* sunt, semper adiunctam habet cogitationem aliorum, qui *non arbitrati* sunt. Hinc sententia nascitur: „plerique, qui suam ipsi vitam narravere, arbitrati sunt, hoc potius fuisse fiduciam morum,‚ quam arrogantiam: alii, quamquam pauciores, arbitrati sunt fuisse arrogantiam." Quod ineptum. Dubitatio enim recte an secus fecerit, sic nemini scriptori in mentem venire potest. Qui arrogantiam arbitratur, non scribit, qui fiduciam morum, iam fere est arrogans, finesque verecundiae et veritatis facile transgreditur. Laudem igitur haud ita magnam consequuntur, quibus ista *fiducia non fuerit citra fidem aut obtrectationi*. Hoc Cicero quoque sentiebat in Epistola ad Lucceium, Epist. ad Famil. V. 12. *Scribam ipse de me. Sed, quod te non fugit, haec sunt in hoc genere vitia; et, ut verecundius ipsi de sese scribant necesse sit, si quid est laudandum, et, praetereant, si quid reprehendendum est. Accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant.* Iudicium igitur aequalium de scriptoribus, non scriptorum de se ipsis, requiri puto. Hoc ut nanciscerer, conieceram: *Plerique suam ipsum vitam narrare.* non, ut in edit. Dronkiana a. 1844. errore typothetae expressum est, *ipsam*. Aliquem *suam ipsum vitam narrare*, *plerique aequales arbitrati sunt fiduciam potius morum*, *quam arrogantiam.* Quare scriptori nec fidem negaverunt, neque obtrectati sunt. Illud *ipsum narrare* Graece dixeris *τὸ περὶ ἑαυτοῦ λέγειν.* Ita Plutarchus notum libellum *περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν* orditur: *τὸ περὶ ἑαυτοῦ λέγειν ὡς τι ὄντος ἢ δυναμένου πρὸς ἑτέρους, λόγῳ μεν ἐπαχθὲς ἀποφαίνουσι πάντες καὶ ἀνελεύθερον, ἔργῳ δ' οὐ πολλοὶ τὴν ἀηδίαν αὐτοῦ διαπεφεύγασιν οὐδὲ τῶν ψεγόντων.* De se *ipsum* dicere plerique odiosum arbitrantur, pauci vitarunt. P. Syrus: *Perfugere ad inferiorem, est se ipsum tradere.* P. Syrus arbitrabatur *τὸ perfugere*, aliquem perfugere, esse traditionem sui ipsius. Nos et Germani in eo utimur particula *men*, *man*. Sed haec in libris Grammaticis satis exposita sunt, ut v. c. locus Nepotis in Attico 9. *Ille se interposuit, pecuniamque sine foenore, sineque ulla stipulatione ei credidit: maximum existimans quaestum, memorem gratumque cognosci, simulque aperire, se non fortunae, sed hominibus solere esse amicum.* Ibi Schottus annotavit quosdam tentasse *apparere* pro *aperire*. Illi sensisse videntur, hic minus recte convenire *existimans esse quaestum simulque aperire*. Nepos, ni fallor, scripsit: *simulque aperiens.* Wexius putabat coniecturam meam in Tacito everti sententia. *Narrantes* enim et *arbitrati* iidem sint, necesse esse. Fortasse ostendi melius convenire sententiae, si iudicia aequalium de scriptoribus cogitentur. Latinitas quidem non esse potest suspecta; potest in scriptura vulgata. Wexius et Kritzius multis hoc agunt, ut casum nomina-

fuit; adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur qui-

tivum pronominis *ipsi* explicent. Utuntur his exemplis: Sallust. B. Iug. 18. *Exercitus eius compositus ex variis gentibus, amisso duce, ac passim multis sibi quisque imperium petentibus, brevi dilabitur.* De h. l. bene mihi disputare videtur Cortius, aut *quisque* accipiendum pro *quîsque*, i. e. *quibusque*, aut reponendum *quîque*, i. e. *quoque.* Hoc verum puto, sed *quîque* esse ablativum generis feminini, quia referri oportet ad *gentes.* Nam sibi *quaeque gens* petit imperium, non sibi *quisque* ex gentibus. Utuntur exemplo Livii XXIV. 4. *Ceteros tutores submovet Andranodorus: iuvenem iam esse dictitans Hieronymum, et regni potentem:* deponendoque tutelam ipse, quae cum pluribus communis erat, *in se unum omnium vires convertit.* In omnibus quidem Mss. legitur *deponendo ipse,* sed Gronovius edidit *quae ipsi cum pluribus communis erat.* Livius scripsisse debuit: *deponendoque tutelam, ipse, quae cum pluribus communes erant, in se unum omnium vires convertit.* Tutelam cum pluribus fuisse commuuem nihil attinebat narrare, quippe satis manifestum ex eo, quod iam dixerat Andranodorum *ceteros tutores removisse.* Attinebat memorare, *vires fuisse communes*, quia Andranodorus esse poterat princeps tutorum, maiore, quam collegae, potestate praeditus. Wexius alio Livii exemplo utitur, IV. 44. *Cum dies venit, caussa ipse pro se dicta — damnatur.* Ibi non video, quomodo Livius aliter scribere potuerit, nisi, *caussa ipsi pro se dicta*, *sua ipsius caussa dicta*, *ab ipso pro se dicta;* vel aliud: nunc *ipse* fulciendum est verbo *damnatur.*

Adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. Nimis rhetoricum est sententias, vel, si malis acute dicta, in initio libelli historici exponere. Talia sunt, praeter hoc, *Scilicet illo igne* cet. *Tardiora sunt remedia* cet. Livius, quamquam ipse ab ornatu isto non alienus, in exordio operis longe ampliore, parcius fecit. Duo tantum huiusmodi dicta in eo reperias: *tam et hoc gentes humanae patiantur, quam imperium patiuntur*, et, *quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat.* Atque ea in Livio vera, et argumento apta sunt. Vide an et in Tacito haec sententia: *Virtutes facillime gignuntur in liberis civitatibus.* Tacitus cogitat liberam civitatem Romanam. Historia omnium temporum testatur, in ea virtutes raro optime fuisse aestimatas. Quae caussa? Invidia, commune *illud parvis magnisque civitatibus vitium*, ergo et Romanae veteri, in qua virtutes optime aestimabantur. Haec quomodo conveniant, non intelligo. Ut illa de communi vitio spuria esse suspicabar, ita haec quoque esse suspicor. Sententia disticha, puto, in margine scripta, quales interdum apud Senecam inveniuntur, auctore non nominato. Sunt senarii iambici: *Iisdem virtutes aestimantur optime. Quibus gignuntur temporibus facillime.* Qui versus ex margine in textum transtulit, bene praeposuit *adeo* notum epiphonematis initium, vel ex Livio, qui in exordio Historiarum: *adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat.*

At nunc narraturo mihi. Ita in utroque Vatic. Mutavit Puteol. *at mihi nunc.* Ita acceperunt olim senarium: *Quibus facillime gignuntur. At mihi.* Sed in tota praefatione tot versus sunt, vel levissima transpositione fiunt, ut prorsus nesciam, quid ea de re statuendum sit. Quintil. ut iam dixi, Inst. Orat. IX. praecipit: *Versum in oratione fieri*,

bus facillime gignuntur. At nunc narraturo mihi vitam defuncti hominis venia opus fuit, quam non petissem incusaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora.

II. Legimus, quum Aruleno Rustico Paetūs Thrasea, He-

multo foedissimum est, totum; sicut etiam in *parte deforme*: *utique si pars posterior in clausula deprehendatur, aut rursus prior in ingressu.* Quid diceret magister, si Agricolam legisset? Centies peccatum est.

Vitam defuncti hominis. Quid mirum si *defuncti?* Poterat aliquis vitam narrare hominis defuncti v. c. mense post mortem. Discrimen temporis inter narratum viventem et defunctum haud esset tantum, ut sic memoraretur, tarditatisque peteretur venia. Discimus quidem postea vitam esse narratam quadriennio serius. Hic iam significatum oportebat, propterea quoque, quia vox *hominis* ita vi aliqua muniretur, quae in ea valde exigua imo fere nulla est: vel *nunc* flagitat oppositum. Coniicio ante *defuncti* excidisse *diu*: *At nunc narraturo mihi vitam diu defuncti hominis.* Est iterum Senarius. Vitari poterat scribendo *vitam hominis diu defuncti.* Sed, ut dixi, occurrunt tot senarii, ut, si et hos et omne aliud μετροειδὲς tollere velimus, ordinem verborum in quavis pagina mutare debeamus.

Venia opus fuit; quam non petissem incusaturus. In Vaticanis sic legitur. Puteol. *ni incusaturus.* Omnia obscura, variis coniecturis tentata, modis explicata. Wexius edidit *quam non petissem, incusaturus*, i. e. si incusaturus essem aliquem, non laudaturus, tum non opus foret hac venia: tum delet verba *tam saeva et infesta virtutibus tempora.* Ego conieci: *venia opus fuit, ni excusarent tam saeva et infesta virtutibus tempora.* At mihi opus *fuisset* venia, ni excusarent tempora. In perfecto indicativi saepe ea significatio cernitur. cf. Cort. ad Sallust. Fragm. p. 967. Et opus fuisset venia, cum antiqui claros viros laudarent vel vivos, vel mortuos, sed cito, imo nondum sepultos oratione funebri. Tacito opus fuisset venia, narranti, laudanti, quadrienno demum post mortem. Tarditas tribui poterat negligentiae, socordiae, vel adeo stultitiae fere simili, quam Tiberius exprobravit Iliensibus legatis, serius consolantibus mortem Liviae, quasi obliterata iam doloris memoria irridens: *se quoque vicem eorum dolere, quod egregium civem Hectorem amisissent.*

Tam saeva et infesta. In uno Vat. *et infelicia.* Sic, parva transpositione, rursus nascuntur Senarii: *Quam non petissem, incusaturus tempora Virtutibus tam saeva et infelicia.*

Legimus. Domitianus Rusticum et Senecionem supplicio affecit a. u. 847: Nerva ad imperium venit a. a. 849. Anni igitur duo intercessere, sed intercesserint tres, quum Tacitus hunc libellum componebat, quis unquam historicus, qui ipse rebus interfuit, tam breve intervallum ita significavit, ut diceret *legimus?* Hoc quam tenue, imo frigidum sit, vel ipsa Taciti verba, cum *legimus* comparata, monstrant, scripta in cap. 45. *Nos Senecio innocenti sanguine perfudit.* Qui mortem istam adspicere coactus fuit, adeo ut *innocenti sanguine perfunderetur*, illum hic scripsisse *legimus?* Nemo Parisinus, ut hoc utar, biennio vel triennio post mortem Robespierii scriberet: *Legimus, quum Malesherbi rex Ludovicus in iudicio esset defensus,*

rennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut monu-

capitale fuisse, nec in epilogo, oblitus, quae antea narrasset, *nos innocenti sanguine Malesherbes perfudit.* Ubi autem Romani legerent? Historia temporum ipsorum nec vita Domitiani exstabat. Legebatur, aiunt, in actis diurnis populi Romani. Wexius etiam putabat esse ipsa decreti verba: *Laudatum Thraseam Aruleno capitale esto.* Ne sic quidem tolleretur illud humile in *legimus. Acta diurna* recte mihi comparare videor cum *Monitore Franco.* Iam nec Romanus nec Francus historicus, nisi omni elegantiae sensu destitutus, testimonium huiusmodi libellorum adhibet, nisi in dissensu, si, quod ipse verum putat, tali auctoritate confirmari posse arbitratur. Nulla hic erat caussa, cur confirmaretur, quod ante duos tres annos acciderat, quod nemo ignorabat, quod gravitatem ac pulchritudinem orationis, idque in exordio, dedecorat. Praeterea dubito equidem, an ista sic in actis legerentur, ut Wexius volebat. Dominitianus, credo, non tulisset. Tam incuriosus non erat, quid posteritas iudicatura esset de poena crimen adeo superante. In actis caussae supplicii afferebantur graviores, verae an falsae, non refert. Et aliae ab aliis traduntur, cur Rusticus et Senecio damnati sint. Suetonius in vita Domitiani exempla memorat Romanorum *levissima de caussa* interemptorum. Ita iudicat Suetonius, ut hic Tacitus iudicat. Neuter acta respicit in quibus damnati iure occisi videbantur. Has difficultates superare licet, accepta Lipsii emendatione *vidimus*, vel mea, *meminimus.* Tempore Domitiani commercium loquendi audiendique erat ademptum, memoriam servavimus. Ergo et meminimus quid Rustico et Senecioni acciderit. Non obliti sumus, nec facile obliviscemur tam triste facinus. Inviti *meminimus* rerum, quas oblivisci mallemus, si oblivisci esset in nostra potestate. Virgil. Aen. II. 12. *Quamquam animus meminisse horret.* XI. 280. *Nec veterum memini laetorve malorum.* Q. Cicero de Petit.Cons. II, 9. *Nam illis, quos meminimus, Gallis, qui tum Titiniorum ac Nanniorum ac Tanusiorum capita demebant, Sulla unum Catilinam praefecerat.* Plin. Paneg. 67. *Nec verendum est, ne incautos putet si fidelitate temporum constanter utamur, quos meminit sub malo principe aliter vixisse.* Traianus ad imperium venit biennio post Domitianum. Dico propter virum doctum, qui putabat *meminimus* non bene adhiberi de interiecto tam exiguo spatio. Ille est I. Heldius. In commentatione edita Suidnicii a. 1845. disputat, Agricolam non esse Taciti, sed recentioris, Taciti nomen simulantis, quem, quia scripsit *legimus*, sui esse oblitum.

Delegato triumviris ministerio. In *saevitum* sunt omnia. Quomodo aut per quos saevitum, nemini Romano erat ignotum. Nec placet *delegato ministerio. Delegamus* alicui, quod ipsi facere nolumus. Domitiano quidem in mentem venire non potuit, ut ipse libros ureret. Solitum erat ministerium triumvirorum capitalium, interdum et aedilium. Si libros uri per aediles, vel alios praeter morem consuetum uri iussisset, ferrem *demandato ministerio.* Nunc Tacitus simplicius scripsisset: *ut in foro urerentur*, vel *urerentur*, nam et locus non ignoratur. Ita Annal. XIV. 50. Nero *convictum Valentonem Italia depulit, et*

menta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem se-

libros exuri iussit. Sueton. Tiber. 61. *Animadversum est statim in auctores, scriptaque abolita.* Calig. 16. *Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta Senatus consultis abolita.* Sed Tacit. Annal. IV. 35, ut minus vulgare: *Cremutii libros per Aediles cremandos censuere patres; sed manserunt occultati et editi.* Ubi coniicio *et lecti.* Sic XIV. 50 in re simili vocat libros *conquisitos et lectitatos.*

Monumenta clarissimorum ingeniorum. Libros iam nominavit. Satis erat: additum, *monumenta clarissimorum ingeniorum* significat, magnopere dolendum libros tam praeclare scriptos, alioquin nunquam perituros, nunc saevitia Domitiani periisse. Quasi non tanta fuisset Domitiani saevitia, si, post alios auctores supplicio affectos, eorundem libros comburi iussisset, quae essent monumenta ingeniorum minus clarorum, vel adeo mediocrium. *Monumenta* sunt omnium rerum; testantur tam bonas quam malas; libri ingenium auctoris, vel clarum vel non clarum testantur. Praeterea *libri* non intercidebant. Conquirebantur et avidius lectitabantur, ut olim et hodie Romae in indicem vetitorum relati.

In comitio ac foro. Habeant voces diversam significationem, sit in comitio notio ignominiae, quia ibi nocentes puniebantur, et in *foro* nulla, nisi *publice;* comitium tamen est in foro, ita contiguum, ut, quod in comitio sit combustum, idem in foro combustum esse intelligatur, neque ea distingui possint, ut hic distinguuntur. Dixisset: *in foro et comitio,* i. e. in foro, et quidem in ea fori parte, in qua condemnati virgis caedebantur, in comitio. Wexius, in quo praeiverat Waltherus: "*in foro* igitur est: *publice* facta est combustio et ante omnium oculos tamquam spectaculum; *in comitio* est: *ignominiose.*" Cur prius nominavit *forum?* Suus eum sensus tacite monebat, *comitium* esse oportere posterius. Latinum erat: *in comitio urerentur,* vel *in foro urerentur,* vel, ad augendam indignationem, *in foro palam urerentur.* Liv. XL. 29. *Libri in comitio, igne a victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt.* Cicero in Verr. II. 33. *Quae in foro palam Syracusis in ore atque oculis omnium gesta sunt.*

Scilicet illo igne vocem populi Romani. In uno Vatic. *vocem* deest. Tum *populi Romani et libertatem senatus* accipienda essent, tamquam *libertatem populi et senatus,* quod usui non repugnat; modo *libertas* hic sumi posset pro *libertate* dicendi, quae sentires. Sed talis libertas erat nulla, minime in ipso senatu. *Vocem populi* intelligimus, sed ea non ita ad aures Domitiani perveniebat, ut v. c. Agric. 43. *Vulgus quoque et hic aliud agens populus per fora et circulos locuti sunt, nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est, aut statim oblitus.* Annal. III. 11. *Haud alias intentior populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit.*

Expulsis insuper sapientiae professoribus. Haec quomodo cum *scilicet illo igne* cet. conveniant, dictu tam difficile est, quam facile, quomodo cum *saevitum.* Sueton. in Domit. 10. memorato supplicio Rustici statim subiungit: *cuius criminis occasione philosophos omnes urbe Italiaque submovit.* Mira interim est similitudo huius loci et Pliniani in Paneg. 47. *Quem honorem dicendi magistris, quam dig-*

natus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute, adempto per inquisitiones etiam loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere.

nationem sapientiae doctoribus habet! ut sub se spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia, quae priorum temporum immanitas exiliis puniebat, cum sibi vitiorum omnium conscius princeps inimicas vitiis artes, non odio magis, quam reverentia, relegaret. Uter est imitator? Plinius, puto, non est.

Libertatem senatus. Ea, credo, revera illo igne abolebatur. Rara semper fuit, post supplicium Rustici et Senecionis omnino nulla. Apparet vel ex epilogo huius libelli, ubi Helvidius manibus senatus in carcerem ducitur, et vel supiria subscribuntur. Hic autem commercium loquendi eximitur.

Conscientiam generis humani. Hanc ignis non abolet. Sed *conscientiam* non intelligo. Dicitur, puto, conscientia alicuius rei, quae inest generi humano, genus humanum est conscium rei, quam vel ipsum perpetravit, vel ab alio perpetratae conscium factum est. in ea *conscientia* cernitur aliquid occulti, clandestini, vulgo minus cogniti. Interpretantur *cognitionem et memoriam.* Cognitio igitur et memoria generis humani illo igne, quo Domitianus libros Rustici et Senecionis exussit, non est abolita. Genus humanum cognovit et memoria retinet, saevitum in libros, adde et, saevitum in auctores. Quam mirum *vox aboletur, conscientia aboletur*, et quidem *igne;* quam ventosum *conscientia generis humani!* Fortasse *ignis* sumtus est ex Seneca Controv. V. in praefatione. Inde nonnulla apponam, cum nostro loco universe convenientia. *Sed illum* (Scaurum declamatorem) *longa, imo perpetua desidia eo perduxerat, ut nihil curare vellet, nihil posset. Orationes septem edidit, quae deinde senatusconsulto combustae sunt. Bene cum illis ignis egerat. Sed exstant libelli.* De Labieno: *In hunc primum excogitata est nova poena: effectum est enim per inimicos, ut omnes eius libri incenderentur. Eius, qui hanc sententiam in scripta Labieni dixerat, postea viventis adhuc scripta combusta sunt. Non tulit hanc Labienus contumeliam, nec superstes esse ingenio suo voluit, sed in monumenta se maiorum suorum ferri iussit, atque ita includi, veritus scilicet, ne ignis, qui nomini suo subiectus erat, corpori negaretur.*

Arbitrabantur. Barclaius rescribebat *arbitrabatur*, Domitianus. Alii pluralem ita defendunt, ut intelligantur quoque illi, qui suasere Domitiano, qui laudavere cet. Tacitus, credo, in plurali contemptum Domitiani exprimit, quasi non dignus sit cuius nomen usurpetur. Haud dissimile est illud Matthaei in Euang. II. 20., Ἐγερθεὶς παράλαβε τὸ παιδίον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ πορεύου εἰς

III. Nunc demum redit animus; et quamquam primo statim beatissimi seculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie

γῆν Ἰσραήλ. τεθνήκασι γὰρ οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου. ubi cogitatur Herodes. Ovid. Heroid. V. 77. *Nunc tibi conveniunt, quae te per aperta sequantur Aequora, legitimos destituantque viros.* Helena cogitatur. Senecae Medea 218. *Petebant tunc thalamos meos proci. Qui nunc petuntur:* est Jason. Frequens usus est Graecis, praesertim tragicis: conf. Locella ad Xenoph. Ephes. p. 218.

Ne quid usquam honestum occurreret. Formula ex eo genere, quod illustravit Ruhnk. ad Vell. Paterc. II. 26. *Ne quid usquam malis publicis deesset.* In exemplo, quod vir elegans ex eodem Velleio II. 67 addit, legitur *ne quid ulli sanctum relinqueretur*, non, ut est in annotatione, *usquam.* In annotatione Lipsiana ad Plinii Paneg. 47. h. l. sic legitur: *ne quid usquam honesti oculis occurreret.* Cuius diversitatis causam non intelligo.

Et quamquam. Bipontini ediderunt *sed.* Melius mihi cum sententia convenire videtur: quod sequitur *natura tamen* paene illud flagitat.

Beatissimi seculi ortu. Aetatis praesentis, et, quod speramus ac confidimus, futurae. Virg. Ecl. IV. 5. *Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.*

Felicitatem temporum. In Vaticanis *felicitatem,* in Puteol. *falicitatem*, unde Beroald. *facilitatem*, quod nonnulli commendant. *Felicitas temporum* multas res simul complectitur: quam rem scriptor praecipuam in animo habeat, sententia loci indicatur. Hic quidem Tacitus cogitat, quod expressit Hist. I. 1. *Rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, et, quae sentias, dicere licet.* Plinius Epist. X. 7. rogat Traianum, ut Accium Suram praetura exornare dignaretur, cum locus vacaret: *ad quam spem alioqui quietissimum hortatur et natalium splendor, et summa integritas in paupertate, et ante omnia felicitas temporum, quae bonam conscientiam civium tuorum ad usum indulgentiae tuae provocat et attollit.* ubi recte Cataneus: "patebat enim omnibus honoris et gloriae campus; ex hoc quisque, quod cupiebat, petere poterat." Auctor Dialogi de Oratoribus 17. *Statue sex et quinquaginta annos, quibus mox D. Augustus rempublicam rexit; adiice Tiberii tres et viginti, quadriennium Caii, ac bis quaternos denos Claudii et Neronis annos, atque ipsum Galbae et Othonis et Vitellii unum annum, ac sextum iam felicis huius principatus stationem, qua Vespasianus rempublicam fovet, centum et viginti ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur.* Ubi emendandum puto: *ad sextum iam in felicis huius principatus statione, qua Vespasianus rempublicam fovet.* Adiice, ait auctor, annos Tiberii, Caii, Claudii, Neronis, Galbae, Othonis et Vitellii ad hunc annum, qui iam sextus est Vespasiani. *Sexta statio* non est Latinum. Una modo statio cogitari potest principatus, *imperii* eiusdem imperatoris, nisi aliquando eiectus, et postea restitutus fuerit. Haec dici poterat *altera*, et sic tertia, quarta: auctor scribere debuerat: *ac sextum iam annum felicis huius principatus stationis Vespasiani*, non potuit propter durissimam constructionem. Igitur mutavit, et hic genitivo abstinuit. Huc et pertinent ista Plinii in Paneg. 67.

felicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo ac vo-

Tenebit ergo semper (Traianus) *quod suaserit, scietque nos, quoties libertatem, quam dedit, experiamur, sibi parere, nec verendum est, ne incautos putet, si felicitate temporum constanter utamur, quos meminit sub malo principe aliter vixisse.* Vulgo quidem legitur *fidelitate temporum*. Mihi emendatio Arntzenii tam vera videtur, ut sic scribere non dubitaverim. Nulla erat caussa, cur virum modestum hoc nonnihil in ea coniectura moraretur, quod nisi in nummis sequentium demum imperatorum, inscriptionem *Felicitati temporum* occurrere meminisset. Sit ita. *Felicitas* in nummis et *felicitas* quam Tacitus, Plinius, alii, experiebantur et laudabant, non semper sunt eaedem: ea, de qua hic agitur, etiam si plura contineret, quam sentiendi dicendique libertatem, semper est antiquior, quam quae in nummis exprimeretur. Memorabile fertur edictum D. Nervae in Plinii Epist. X. 66. *Qaedam sine dubio, Quirites, ipsa felicitas temporum edicit, nec spectandus est in iis bonis princeps, quibus illum intelligi satis est, cum hoc sibi quisque civium meorum spondere possit, me securitatem omnium quieti meae praetulisse, ut et libenter nova beneficia conferrem, et ante me concessa servarem.* Memorabile, inquam, edictum, quod, si revera sit Nervae, Tacito in mente fuisse potuit, mox *securitatem* publicam quoque laudanti. Ceterum *facilius* et *felicius*, *facilitas* et *felicitas* in MSS. centies permutantur. cf. vel Duker. ad Flori II. 6. Nota sunt illa in responsis oraculorum *res vestrae erunt faciliores ac meliores*, *ῥᾴονα*, de qua formula Gronov. ad Livii XXIII. 11. ubi locum Taciti, ignarus scripturae Vaticanae, ad eandem rationem interpretatur, retinetque *imperii facilitatem*. Sed in *facilitate* intelligitur prospera conditio, quae facit ut homines sine difficultate prospicere possint omnibus rebus, quae praesertim ad cultum et victum pertinent, ut sibi quisque possit *ῥᾷον διάγειν*, *ῥᾷον εἶναι*. conf. Burm. ad Valer. Flacc. VI. 323. *Facilis* et *facilitas* tritum est in re pecuniaria. In *difficultate* temporum plerumque est publica et privata inopia. Ita usum reperio Valer. Maxim. V. 6. *Viri atque feminae quidquid auri argentive habuerunt, item pueri insignia ingenuitatis, ad sustentandam temporis difficultatem contulerunt.* An contra dicatur *temporis*, *temporum facilitas*, ignoro. Romae nunquam fuit tanta copia rei nummariae, quanta, quum sub Augusto urbi invecta esset gaza regia Alexandrina. Nemo *temporum facilitatem* laudavit, omnes laudarunt liberalitatem Augusti in *difficultatibus annonae*. Et saepe in tyrannide est talis *facilitas*, *felicitas* civium nunquam. Tacitus in principatu Augusti *facile* vivere poterat, *felicitas*, quam ille intelligebat, non exstabat.

Nec spem modo ac votum Securitas publica cet. Omnia obscura. Audiamus Kritzium: „Non carent haec verba duritie aliqua. Primum enim *assumserit* per zeugma refertur ad *spem* ac *votum*, quae *concipiuntur*, non *assumuntur*. Tum, quae spes et vota pro *securitate publica* concipiuntur, ea paullo audaciore personificatione *Securitas* ipsa concipere vel habere dicitur, ex peculiari Taciti more, qui haud raro eam sententiae partem, quae in praedicati attributo est, subiectum enuntiati facit." Non credo tam dura a Tacito potuisse componi. Sententia, cujus initium *et quamquam*, longius extrahitur, ante quam venia-

tum Securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumserit, natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora nostra lente augescunt cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius

mus ad *tamen.* Quae orationem Panegyricam minus dedecerent, dedecent praefationem parvi libelli, in quo vita viri excellentis narratur. Nerva et Traianus, pro consilio Taciti, satis erant laudati. Laus istis verbis expressa *quamquam primo — Nerva Traianus* breviter et eleganter complectitur, quae dici poterant ac debebant. Neque intelligo, cur, qui nominasset *spem ac votum*, deinde *spem* omiserit. Minus fortasse offenderent sic concepta: *nec spes modo ac votum sit securitas publica, sed ipsa spei votique fiduciam assumpserit.* Olim et nuper quoque sub Domitiano in nummis et inscriptionibus exprimebatur *securitas* et *vota pro securitate.* Frustra. Spes nostra et vota nihil erant nisi *spes et vota*, nunquam fiebant *res.* Nunc Securitas *ipsa*, quasi praesens, assumsit fiduciam spei et robur voti. Initia huius principatus ostendunt, quantam fiduciam spei, quantum robur voti iam nunc habeamus. Securitas tenetur, adest. audet prodire, ut in Horatii Carmine Saeculari: *Iam Fides et Pax et Honor Pudorque Priscus, et neglecta redire Virtus Audet, apparetque beata pleno Copia cornu. Assumsit, sumsit*, ut Horatianum *quaesitam meritis sume superbiam. Spes* et *fiducia* quam saepe opponantur, notum. Liv. XLV. 8. *Cognita populi Romani clementia non modo spem sibi sed prope certam fiduciam salutis praebet. Securitas publica* a principibus praestatur. Cives iure hominis et civis domi utuntur, foris nullum ab hoste periculum metuunt. Eam securitatem Tacitus quoque cogitat Hist. I. 3. *Praeter multiplices rerum humanarum casus, coelo terraque prodigia et fulminum monitus et futurorum praesagia, laeta, tristia, ambigua, manifesta. Nec enim unquam atrocioribus populi Romani cladibus, magisque iustis indiciis approbatum est, non esse curae Deis securitatem nostram, esse ultionem.* Ubi sententia postulat: *nostram esse curae Deis securitatem, nostram esse ultionem.* Praesagia laeta, temporum *felicitas*, quibus Tacitus scribebat, auguria et vota quibus Agricola et amici principatum *Traiani* inter se ominabantur, docent, non solam *ultionem*, poenam Romanorum, Deis esse curae, verum etiam *securitatem.* Sed, sive interpretatio Kritziana melior sit, sive mea non prorsus reiicienda, equidem et hoc loco, ut mox in aliis, manum glossatorum corruptricem potius agnosco.

Et ut corpora nostra lente augescunt, cito exstinguuntur. cet. Videntur spuria, ex margine assumpta, in quo fortasse notatus erat senarius: *augescunt corpora lente, exstinguuntur cito.* Iterum dicendum. Oratio, et acute dicta, comparationes, alia, sunt ampliora et ea verborum copia et ornatu effunduntur, quae Tacitus, quamvis nondum qui postea factus est, cavisset. *Remedia sunt tardiora quam mala. Ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris*, hic minime desiderant comparationem, nedum ita claudicantem. Non enim conveniunt *exstingui* et *opprimere*: corpus *exstinctum*, est mortuum, nec *revocatur.* In *remediis* cogitantur *mala*, morbi. Vires morbo *oppressae* reme-

quam revocaveris. Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo et invisa primo desidia postremo amatur. Quid? si per quin-

diis, licet tardis, in corpus revocantur, *exstinctae* in corpus *exstinctum* non revocantur. Recte Plinius Epist. III. 18. de oratione sua Panegyrica, quam, in senatu habitam, amicis flagitantibus quoque recitabat: *Mihi hunc honorem habitum putem, an studiis? studiis malo, quae prope exstincta refoventur.* Hoc aliud est, quam *exstincta revocantur.* Sunt alia in nostro libello perversae imitationis, e Plinio ductae, exempla. Ingenia, studiis oppressis, hebetantur et franguntur. Tacitus universe loquitur de *ingeniis.* Cogitat facultatem scribendae historiae *Opprimi* et *exstingui*, *exstingui* et *opprimi* in alia metaphora, v. c. ab incendio sumpta coniunguntur. Tali Metaphorae hic non est locus. Neque in *revocaveris* est, quod cum *augescunt* comparetur. *Corpora lente augescunt* significat *crescunt*, maiora fiunt, fere ut Horatius de fama Marcellorum, quae *crescit, velut arbor, aevo occulto.* Hic postulatur *vires corporis lente augescunt.*

Ingenia studiaque oppresseris. Ingenia, quae hic cogitantur, cogitari non possunt sine studiis. Ea studiis formantur, excoluntur. Studia prius opprimenda sunt. Legam: *studiaque et ingenia.* Sulpicia Satir. 37 de Domitiano qui *Et studia et sapiens hominum nomenque genusque, Omnia abire foras, atque urbe excedere iussit.*

Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo. Tota disputatio de caussis, cur ingenia studiaque semel oppressa non facile revocentur, ab exordio huius libelli aliena est. Si Tacitum cognovi, et ut, quoad fieri posset, cognoscerem, totum denuo perlegi, antea quam has meas annotationes componerem, nihil ipse in exordio praemonere voluit, nisi hoc unum: *Ne quis miretur, cur nunc demum de vita et moribus Agricolae exposuerim. Tempora, credo, iure excuso. Inertia* et *desidia* non ita differunt, ut hic videtur. *Desidia* paullo plus est. Sed nullo fine ab *inertia* separatur. Sunt contiguae et coëunt. Qui sensit dulcedinem inertiae, illi *desidia* iam non est invisa, non *primo* fit *invisa*, sed *prius*, ante dulcedinem inertiae, erat invisa. Tacitus scripsisset: *Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo et invisa prius, postremo amatur.* Sed quam inertiam et desidiam cogitemus nisi eorum, qui de claris viris scribere potuerint? Ergo et alios et se ipsum inertiae et desidiae accusat. Quamvis enim dicere, quae quis sentiret, non licebat, literis et studiis operam dare, scribere quoque licebat, modo non ederet. Et hoc Tacitus sine dubio fecit, ac per silentium, non per inertiam et desidiam Domitianum evasit. Agricola, c. 42, laudatur, quod in obsequio et modestia, industriam ac vigorem servavit. Quid impediebat, quominus industriam ac vigorem servarent Tacitus et aequales, quibus hoc multo facilius fuisset, quam Agricolae fuit? Hic igitur in suis rebus inertiam et desidiam oderat, Tacitus et alii in suis amare didicerant.

Quid? si per quindecim annos. Ingenia et studia propterea quoque apud nos eo difficilius revocabuntur, quod multi, quorum opera et exemplum esse poterant utilissima, interim, ut fit, mortui sunt, alii interfecti, pauci superstites sunt, non modo illorum, sed etiam sui, partim senes, partim aetatis iam prope exactae.

decim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt, pauci, et, uti dixerim, non modo aliorum, sed etiam

Grande mortalis aevi spatium. Usitata, spatium *magnum*, *longum*, *ingens*, *parvum*, *exiguum*, *breve;* an et *grande?* Sed usitatum sit: *spatium aevi* est *pars aevi.* Varro aevum dividit in pueritiam, quae est a die natali ad annum decimum quintum, *adolescentiam* ad trigesimum, iuventutem ad quadragesimum, aetatem *seniorum* ad sexagesimum, senectutem ad finem vitae. Constituit igitur quinque partes, quarum quatuor efficiunt omnes sexaginta. Adde ex ultima parte annos decem. Conficitur summa annorum septuaginta. Rectene anni quindecim vocantur *grande spatium mortalis aevi*, grandis pars septuaginta annorum? Nisi scriptor fortasse quindecim annos sub malo principe pares esse voluerit triginta sub bono; fere ut apud nos, qui in coloniis Indiarum quindecim annos militavit, militasse censetur triginta.

Promptissimus quisque. Auctor tantum loquitur de *ingeniis et studiis.* Igitur *promptissimus* hic est ingenio et studiis maxime paratus, ingenio studiis exculto ante alios insignis. Rusticus et Senecio erant promptissimi, nam laudationes, quas scripserant, dicuntur *monumenta clarissimorum ingeniorum.* Sed interciderunt, quia edidere, provocantes ita saevitiam principis. *Promptissimus* adeo accipiendum duplici significatione, quarum una tantum sententiae loci convenit. Praeterea facere non possumus, quin in *promptissimus quisque* cogitemus maiorem numerum, quam tempora Domitiani, praesertim extrema, admittunt. Ipse scriptor duo tantum exempla affert, Rustici et Senecionis; Suetonius Rustici et Hermogenis Tarsensis, quamquam is Graece scripserit. Hunc narrat occisum, propter quasdam in Historia figuras, (i. e. dicta obliqua, quibus Domitianus se tangi putabat) librariis etiam, qui Historiam descripserant, cruci fixis: attulissent, credo, plura si fuissent.

Et, uti dixerim. Dubito an Tacitus in exordio huius libelli sine necessitate adhibiturus fuisset formulam adeo abstrusam et ab usu remotam, ut sic excusanda esset. Neque excusatio pertinet ad *superstites aliorum*, in quo nihil insoliti, sed ad *superstites nostri.* Dicendum erat *non modo aliorum,** *sed etiam, ut ita dixerim, nostri superstites sumus.* Ita in Germania 2. *Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos: quia nec terra olim, sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quaerebant; et immensus ultra, utque sic dixerim, adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur:* non, *et uti dixerim, immensus*, in quo nihil reconditi est. Annal. XIV. 53. *Ego quid aliud munificentiae tuae adhibere potui, quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata.* Livius in Praefatione: *labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo*, non *deinde velut labente paulatim disciplina. Labente* usitatum, mores *desidentes* audacius: excusat per *velut*, elegantius quam *ut ita, ut sic dixerim*, vel quia in eo maior necessitas communis usus deserendi cernitur. Ea autem hic erat nulla, nihil ut capturetur acute dictum. Locus ex Germania supra alla-

nostri superstites sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae

tus, est corruptus. Adiectivum *adversus* non eget excusatione. Coniiciunt *aversus, diversus,* alia. Coniicio: *et immensus ultra, utque sic dixerim, divisus ab orbe nostro Oceanus raris navibus aditur.* Oceanus proprie non poterat vocari *divisus, separatus.* Ipse *dividit* nationes a nationibus. Ergo *ut sic dixerim.* Et agnoscitur Virgilianum: *penitus toto divisos orbe Britannos.*

Non modo aliorum. Qui nunc ingenia et studia revocare possent, hi per quindecim annos maximam partem interciderunt. Pauci superstites sumus *aliorum.* Sententia poscit *illorum.* In *aliis* cogitantur vel omnes omnino Romani, qui interea interciderunt, ergo et ab ingenio studiisque minime parati, vel *alii,* quam de quibus dixerat, qui aeque fuissent prompti. Neutrum loco congruit.

Sed etiam nostri superstites sumus. Aliquis *sui, sibi superstes,* proprie vivit, sic tamen, ut vix dici possit *vivere,* similis sit iam mortuo. Omne robur animi et corporis periit. Lusit in eo, ut solet, Seneca Epist. 30, de sene, morbis et aetate confecto. *Bassus noster videtur mihi prosequi se et componere, et vivere tanquam superstes sibi.* Claudian. de IV Cons. Honorii, 474. *Gens, qua non Scythicos diffusior ulla Triones Incoluit, per te viresque tuorum Fracta ducum, lugetque sibi, iam rara, superstes.* Laberius, apud Macrobium, se uno die plus vixisse queritur, quam vivendum fuit, *sepulcri similis, nil nisi nomen retineo.* Ita *gloriae, ingenio* superstes dicitur, qui gloriam, ingenium periisse, quasi mortua esse, vidit. Liv. II. 7. *Consul laudare fortunam collegae, quod liberata patria in summo honore pro republica dimicans, matura gloria, necdum se vertente in invidiam, mortem occubuisset: se superstitem gloriae suae ad crimen adque invidiam superesse.* Seneca Controv. V. praefat. de Labieno, cuius libri erant combusti: *non tulit hanc contumeliam, nec superstes esse ingenio suo voluit.* Omitto alios in hac figura lusus, quos attigere interpretes ad Appul. Metam. I p. 50, et Pricaeus p. 154. Sed quaero an Tacitus bene scripsisset: *nostri superstites sumus,* i. e. omnem animi et ingenii facultatem perdidimus, nulli amplius studio apti, nihil sumus. De aliis, puto, arrogantius, quam modestius, de se tam modeste, ut potius simulata mente locutus esse videatur, cum praesertim addat: *non tamen pigebit composuisse memoriam,* tamen scripsisse iuvabit.

Iuvenes ad senectutem. Hoc est, ego et alii isti venimus ad senectutem. Repete, si velis: *prope ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos venimus;* non iuvat. Tacitus haec scribebat anno aetatis fere quadragesimo quinto. Tamen non recte diceretur *prope ad senectutem* venisse, quae demum incipit anno sexagesimo. In Histor. I. I. legimus: *Quod si vita mihi suppeditet, principatum Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam senectuti seposui.* Post Agricolam composuit Germaniam, post Germaniam Historias. Da tempori interiecto tres, quatuor annos, et vir, natus annos quadraginta octo vel novem, diceretur prope venisse ad *sexagesimum.* Cicero, cum librum de senectute scripserat, ad annum aetatis tertium et sexagesimum venerat.

aetatis terminos per silentium venimus. Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. Hic interim

Onus senectutis, aut iam urgentis aut certe adventantis sibi cum Attico commune dicit. Unde tanta rationis subducendae dissimilitudo? Ea nunquam constabit.

Per silentium. Interpretantur „per oppressa ingenia studiaque, prohibita omni dicendi scribendique facultate et exercitatione." Sed scribendi exercitatio non erat prohibita, nec poterat. Et multi scripsere, et ediderunt, v. c. Valerius Flaccus, P. Statius, V. Martialis, Quintilianus. Prohibita tantum dici potest facultas libere loquendi in foro, senatu, et libere scribendi et edendi, quid quisque sentiret. Domitianus studia fori et civilium artium decus in silentium, professores quoque sapientiae in exsilium egerat. De his ingeniis et studiis nunc non agitur: agitur de facultate vitae clarorum virorum scribendae. Huius quoque generis exercitatio non impediebatur, modo ne ederent, vel, si ederent, omnia vitarent, quibus Domitianus se tangi suspicaretur, ut suspicatus est in Historia Hermogenis Tarsensis.

Non tamen pigebit. Hinc quoque apparet non aliud eloquentiae genus cogitandum, quam quod pertinet ad conscribendam historiam. Forum, curia, philosophia suam sibi habent propriam eloquentiam. Qui in una excellit, non excellit necessario in altera, imo raro excellit. Non pigebit composuisse, recte me fecisse arbitrabor, si composuerim. Quintil. Inst. Orat. III. I. 22. *Non tamen post tot ac tantos scriptores pigebit meam quibusdam locis posuisse sententiam.* Tacitus in animo habebat scribere historiam *principatus*, quod est testimonium libertatis, quam cum principatu posse sociari, Nerva et Traianus docuerunt. Olim *principatus* erat servitus. Memoriam servitutis qui componit, simul componit principatus. Ne sub Augusto quidem libertas exstitit.

Vel incondita ac rudi voce. Mira, puto, Latinitas. Vox *rudis*, ut *aspera*, intelligi potest, et est apud Quintil. Inst. Orat. XI. 3. Vox *incondita* vix potest intelligi, ne comparata quidem cum *incondito* clamore: male quoque iunguntur *incondita voce componere*, quia contraria sunt *inconditum* et *compositum*. *Voce incondita componere* esset *modo incondito componere*, ordinare sine ordine. Quod significatione propria non rectum est, non est impropria. Iam *componere* memoriam servitutis significat *componere* librum de servitute, scribere de servitute. *Voce* testamur, loquimur, prodimus, canimus, non *componimus* neque *scribimus* librum. Latinum erat: *vel incondita ac rudi voce tradidisse.*

Memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum. Tacitus fortasse scripsit: *memoriam prioris servitutis, testimonium praesentium bonorum, composuisse.* Quod audet libere de temporibus principatus exponere, hoc iam ipsum est testimonium praesentis libertatis.

Hic interim liber. Priusquam scribere de principatu aggrediar, hunc de Agricola librum edidi. Tacitus, puto, in animo habebat, maius illud opus, de Vitis principum, quae ipsam historiam rerum efficiebant, ab Augusto ordiri, et ad sua tempora deducere. Servitus enim ab Augusto incepit. Postea propemodum omnes libertatem oppressere. Mutavit hactenus

liber, honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

consilium, ut post Agricolam, primum Germaniam composuerit, tum de Galba, Othone, Vitellio, Vespasiano, Tito, ac Domitiano exposuerit. Principatum Nervae addere potuisset. Sed Traianus vivebat, et brevius imperaverat, quam ut iam nunc de patre et filio scribere posset, quae vellet ac deberet. Ergo istam materiam seposuit *senectuti*, tunc habiturus uberiorem securioremque. Historia absoluta sine dubio communi omnium admiratione et plausu excepta fuit, rerumque periti iudices, ipse, credo, Traianus, eum adhortati sunt, ut, qui partem historiae principatus tam praeclare composuisset, alteram partem, ab Augusto ad Galbam adderet. Fecit in Annalibus. Sed, ut in Historiis nonnulla praemonenda esse arbitrabatur, ita verosimillimum est eum Annales non sine praefatione edidisse, explicata praesertim caussa, cur prius Historiam, deinde Annales scripsisset. Nunquam equidem hoc mihi persuadere potui, *Urbem Romam a principio reges habuere*, efficere initium talis ac tanti operis.

Honori Agricolae soceri mei destinatus. Glossa. Nemo non sentit, quanto grandior, his deletis, sit oratio. Liber destinatus honori Agricolae, editus eo praesertim consilio, ut Agricola honoraretur, compositus adeo de *laudibus Agricolae.* Tacitus quidem facere non potuit, quin socerum suum saepe laudaret. Sed nemo se facturum profitetur, qui *de vita et moribus* expositurus sit, vel, quod simplicius iam dixerat, *narraturus vitam defuncti hominis.* Et de quo expositurus esset, statim, vel ex titulo libri, vel ex initio *Gnaeus Julius Agricola, vetere et illustri* cet. apparebat. Porro adiecta mentio soceri sui ingratum quemdam legentibus timoris sensum inspirat, ne veritati officiatur. Si liber esset Plinii, isque Tacito misisset, dixissetque: *Hic interim liber, honori soceri tui destinatus*, nemo inique ferret.

Atque ita libere declaravi, quid et quare mihi in exordio huius libelli reprehendendum videretur. Non dubito plerosque hoc meum iudicium modo tamquam severius, modo tamquam falsum, esse improbaturos. Interea, dum placidas et eruditas contra me disputationes avide exspecto, easque literis nostris quam maxime profuturas spero et confido, exordium Tacito dignius arbitror tale:

Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit. Sed apud priores, ut agere memoratu digna promptum magisque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsum vitam narrare fiduciam potius morum, quam arrogantiam, arbitrati sunt; nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. At mihi nunc narraturo vitam diu de-

IV. Gnaeus Iulius Agricola, vetere et illustri Foroiuliensium colonia ortus, utrumque avum procuratorem Caesaris habuit, quae equestris nobilitas est. Pater Iulius Graecinus

functi hominis venia opus fuit, ni excusarent tam saeva et infesta virtutibus tempora.

Meminimus, quum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum; expulsis insuper sapientiae professoribus, atque omni bona arte in exsilium acta, ne quid usquam honesti occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere.

Nunc demum redit animus. Sed quamquam primo statim beatissimi seculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traianus; natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; studiaque et ingenia oppresseris facilius quam revocaveris. Non tamen pigebit memoriam prioris servitutis, testimonium praesentium bonorum, composuisse. Hic interim liber professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

Pater Iulius Graecinus. In uno Vatic. *pater Iulii*, in altero *pater Iuli.* Interpretes recte eiecerunt. Froelichius corruptum iudicabat ex *fuit.* Kritzius eam coniecturam valde commendat, et recepit, quia verbum necessarium est, quod respondeat praegresso *habuit.* Verbum, puto, desideratur. Sed mihi non placet: *pater fuit Iulius Graecinus — mater Iulia Procilla fuit.* Fortasse *fuit* in fine sententiae positum, in initio cogitatione repetendum est: concinnius tamen: *pater fuit Iulius Graecinus —— interfectus est: mater Iulia Procilla, rarae castitatis.* Ibi *fuit* non erat necessarium, imo melius omitteretur. Vix enim separare possumus *fuit rarae castitatis.* Quid? si, ut supra *Iuli* socordia librariorum ortum videtur ex *fuit*, ita hic *fuit* ortum sit ex *femina.* Verba *rarae castitatis* nunc orationem reddunt exiliorem, quam pro tali laude. Quanto numerosius: *mater Iulia Procilla, femina rarae castitatis.* ut Annal. XII. II. de Agrippina, *femina expertae*

senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus, iisque ipsis virtutibus iram Gaii Caesaris meritus; namque M. Silanum accusare iussus, et, quia abnuerat, interfectus est. Mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis. In huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium, praeter ipsius bonam integramque na-

foecunditatis. Ductus literarum in *femi* seu *fei* et *fui* in Mss. vix differunt.

Quae equestris nobilitas est. Haec et sequentia valde corrupta sunt. Nam neque *equestris nobilitas* recte intelligi potest, nec, si potest, et ex procuratione, quam memorat, revera nobilitas quaedam ordini equestri conciliaretur, Tacitus caussam habebat, cur, quod lectores non ignorarent, ita explicaret. Wexius verba uncis inclusit. Ac fortasse melius erat eum sequi, vel potius ista delere. Cogitans tamen quam misere Mss. huius libelli, verbis quoque trajectis, inquinata sint, conieci: *Utrumque avum procuratorem Caesaris habuit genere equestri. Pater Iulius Graecinus senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque nobilitatus, iisque ipsis iram Gaii Caesaris meritus;* Procuratores iam inde ab Augusto erant vel *equites* vel *liberti*. Dio Cassius LIII. 15. narrat eum in provincias tam suas quam populi misisse ἐπιτρόπους τοὺς μὲν ἐκ τῶν ἱππέων, τοὺς δὲ καὶ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων. Ipse Traianus habebat procuratorem libertum Maximum, quem Plinius Epist. X. 17. testimonio prosequitur. Iam pertinebat ad laudem generis, quo ortus erat Agricola, habuisse avum paternum et maternum procuratorem Caesaris Augusti, eosque ordinis equestris, non libertos. Qui legerit Wexium, acute et docte de emendanda librorum scriptura disserentem, non mirabitur ex *genere* oriri potuisse *quae:* scribebatur *gene'e*. Qui Wexium non legerit, is dubito an satis recte de coniecturis meis iudicare possit.

Nobilitas est. Hinc feci *nobilitatus*. Graecinus eo studio iam ab ineunte aetate nobilis, clarum quoque nomen apud posteros adeptus est. Transtuli ad suum locum: *studio eloquentiae sapientiaeque nobilitatus*. Quod librarius supplevit, *notus*, quia *studio* tale aliquid postulabat, parum est pro Graecino. Seneca De Benef. II. 21. *Si exemplo magni animi opus est, utamur Graecini Iulii, viri egregii, quem C. Caesar occidit, quod vir melior erat, quam esse quemquam tyranno expediret.* Addit Seneca dicta illius libera et acuta, quae testantur non modo inimicum vitiis, sed etiam promptum et facundum hominem. Columella de Re Rustica I. 1. laudat praecepta illius de *vineis* admodum *facete et erudite composita*. Et *eloquentia* Graecini in hoc genere agnoscitur in particula satis ampla, quam affert Colum. III. 12. IV. 3. Pater Graecini quoque, procurator Caesaris, probe intelligebat, quid faceret ad fundos vineis bene conserendos, v. Colum. IV. 3. Maiores igitur Agricolae erant rustici, locupletes, equites, literarum humanitate exculti, ut in illa Galliae Narbonensis parte, vicina Massiliae. Fortasse pater Graecinus filio cognomen Agricolae indidit, ipse agriculturam amans, ut

naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuit, locum Graeca comitate et provinciali parsimonia mistum ac bene compositum. Memoria teneo soli-

pater et maiores amaverant, et studium in suo genere mansurum sperans. Graecinus, cui Ovidius epistolam ex Ponto misit, Epist. I. VI. fuisse videtur Agricolae avus potius quam pater. Tempora conveniunt. Ovidius laudat studia illius, maximam curam artium ingenuarum: *Nec quisquam meliore fide complectitur illas, Qua sinit officium, militiaeque labor.* Ovidius Graecino scribebat a. fere XII. post Chr. Agricola demum natus est a. XXXIX.

Iisque ipsis virtutibus. Delendum puto *virtutibus. Studium eloquentiae sapientiaeque*, non idem est, atque *eloquentia* et *sapientia* ipsae. *Amor* doctrinarum et *ipsae* doctrinae distinguuntur. Sapientia, i. e. philosophia, vix refertur ad virtutes, minus etiam *eloquentia*, ut quidem hoc loco referri debet. Graecinus acerrimum semper habuit studium eloquentiae et sapientiae, eoque studio nobilitabatur, sed, quia studium egregios fructus tulit, factus est eloquentissimus et sapientissimus. Ita meritus est iram Gaii Caesaris. Eloquentia fuit caussa, cur iussus sit accusare Silanum, sapientia cur noluerit. Praecepta sapientiae vetabant. Ea docebant virtutes, iubebantque homines eas non magis contemplando diligere, quam moribus et factis repraesentare.

Illecebris peccantium. Agricola puer et adolescens caste pudiceque vixit. Habebat quippe naturam a vitiis alienam; et Massilia, ubi studia et magistri eximie florerent, vigerentque Graeca comitas et provincialis parsimonia, non ostentabat illecebras *peccantium*. Cogita an non melius sit *peccandi*. Cicero pro Milone 18. *Quis ignorat, maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? Illecebrae* peccantium vocantur, quatenus peccantes exemplo alios ad imitationem illiciunt: quamquam hoc magis Latine diceretur *arcebat eum ab exemplis peccantium. Illecebrae* quoque vocantur verba et cohortationes, quibus peccantes illiciunt alios ad peccandum. Et hoc saepe fit, ut mali alios sibi similes fieri cupiant. Sed tanta malorum multitudo non erat Massiliae, ut inde periculum Agricolae imminere posset. Romae erat periculum. Et Romae, quamvis non nominatae, opponitur Massilia.

Mistum ac bene compositum. Miscere proprie significat *coniungere*, ut, v. c. *vinum et aquam.* Hoc exemplo optime intelligitur, quid *miscere* figurate significet. Poculum *miscet*, mistum habet, vinum et aquam, ea in poculo mista sunt, magna eorum copia inest, vino et aqua impletum est. Sic comitas et parsimonia miscent Massiliam, totam Massiliam. Phaedrus Fab. IV. 16. *Totam quia vitam miscent dolor et gaudium.* Statius Silv. III. v. 93. *Quid laudem risus libertatemque Menandri, Quam Romanus honos et Graia licentia miscent.* Ingentem coniuncti vigoris ac lenitatis copiam Velleius Paterc. II. 98 expressisse videtur in superlativo: *De quo viro hoc omnibus sentiendum ac praedicandum est, esse mores eius vigore ac lenitate mistissimos.* In mistura vini et aquae plerumque definitur quota cuiusque pars sit. Figurate Horat. Carm. IV. 12. *Misce consiliis stultitiam brevem*, i. e. parvam. Sueton. Domit. 3. *Circa administrationem autem imperii aliquam-*

tum ipsum narrare se prima in iuventa studium philosophiae

diu se varium tenuit, mixtura prope aequabili vitiorum atque virtutum: donec virtutes quoque in vitia deflexit. Vinum et aqua vim habent contrariam; calor miscetur frigore, *temperatur.* Livius VIII. 36. *Sensit peritus dux, quae res victoriae obstaret. Temperandum ingenium suum esse, et severitatem miscendam comitate.* Plinius Epist. VIII. 21. *Ut in vita, sic in studiis pulcherrimum et humanissimum aestimo, severitatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, haec in petulantiam excedat.* Florus I. 5 de Tarquinio Prisco, *qui Graecum ingenium Italicis artibus miscuisset.* Notio huiusmodi figurata in hoc loco Taciti non recte accipitur. Nam *comitas* et *parsimonia* non sunt virtutes contrariae. Quominus autem referas *comitatem* ad liberalitatem Massiliensium, spectatam in elegantia conviviorum, hoc vetat, quod ea *comitas* ad luxum pertinet atque adeo ad *vitium*, cum praesertim *Graeca* appelletur. Graeci mores propterea vituperabantur, ita ut vel *Graecari* et *pergraecari* significare coeperit *vino et veneri indulgere*, et Augustus gravissima oratione suaserit, ne Romani *Graecam luxuriem* utilibus patriae moribus paterentur obrepere. Si *comitas* et *parsimonia* non sunt contrariae, non recte sic sibi opponuntur, ut altera alteram *misceat* ac temperet. Quare Tacitus scribere non potuit *mistum ac bene compositum*, sed scribere debuit, *mistum ac paene compositum.* Comitas et parsimonia Massiliam miscebant, imo fere totam componebant. Urbs, quanta quanta, erat composita, *συνθετὸς*, ex istis virtutibus, quae eam *componebant*, ut animus et corpus hominem. Locus Taciti, quem afferunt ad interpretanda *bene compositum*, huc non facit. Tacit. Annal. V. I. *Iulia cum artibus mariti, simulatione filii, bene composita.* Iulia *bene composita* est, ut *par bene compositum* gladiatorum, apud Horatium, ut iam vidit Ernestus.

Studium philosophiae acrius hausisse. Haurire est liquorem ex loco in locum transmittere, hinc et *bibere.* Qui *acrius* hauriunt, sunt acres potores, capiunt, ut est apud Horatium, *acria pocula*, quasi diuturnam sitim explere velint. Notio transfertur ad res varias, artes quoque et disciplinas, quas avide arripimus. Livius XXXIX. 26. *Velut ex diuturna siti meram haurientes libertatem.* Tacitus Histor. III. 2. *Quanto ferocius ante se egerint, tanto cupidius insolitas voluptates hausisse.* IV. 5. *Helvidius Priscus e moribus soceri nihil aeque ac libertatem hausit.* Valer. Maximus VII. 2. *Ut ipsam virtutem potius haurirent, quam umbram eius consectarentur.* VIII. 7. de Pythagora, qui se Magis Persarum *tradidit formandum, a quibus siderum motus docili animo hausit.* Ita *res ipsae hauriuntur*, non rerum *studium.* Hoc defendi ex auctore Dialogi de Oratoribus non puto. Ille cap. 28. *Quae disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta uniuscuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas, et, sive ad rem militarem sive ad iuris scientiam sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret.* Ibi *id solum* non pertinet ad *studium,* sed ad rem militarem, iuris scientiam, eloquentiam, unam ex his, illud solum ageret, illud solum *hauriret.* Si quis fortasse locum Aurelii Victoris Epitome 14 contra me uti vellet, hunc et ostendo, et interpretari conabor: *Hadrianus Graecis literis*

acrius, ultra quam concessum Romano ac Senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset. Scilicet sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae vehementius quam caute appetebat. Mox mitigavit ratio et aetas, retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

impensius eruditus, a plerisque Graeculus appellatus est. Atheniensium studia moresque hausit, potitus non sermone tantum, sed etiam ceteris disciplinis. Aurelius unum verbum *hausit* ad diversa substantiva retulit, ut centies fit. *Hausit* magis pertinet ad mores quam ad *studia;* tum haurire *studia* hominum, aliud est, quam *studia* rerum; denique *studia* et *studium* differunt. *Studia*, non addito nomine disciplinae, significant studia *literarum*, ut h. l. *potitus*, vel, ut legendum coniicio, *potens non sermone tantum: studium* nomen disciplinae habet additum v. Oudend. ad Suetonii Galb. 3. Ergo Aurelius pro *literas et mores Atheniensium hausit*, recte scripsit *studia et mores hausit*, quia *studia* sunt ipsae literae, *studium philosophiae* non est *ipsa philosophia.* Propterea in Tacito malim: *studium philosophiae acrius habuisse.* Sallust. Catil. 11. *Avaritia pecuniae studium habet.* Cicero pro Quint. 25. *Studio, quod habebat erga propinquum suum, quemvis commoverat.* Quintil. Inst. Orat. II. 18. *Astrologia, nullum exigens actum sed ipso rei, cuius studium habet, intellectu contenta. Habere studium*, ut Graece *σπουδὴν περί τι ἔχειν*, quodammodo confirmatur ex eo, quod sequitur: *mox mitigavit ratio et aetas*, nam *hausisse* potius aliud verbum requirebat, v. c. *temperavit:* quia poculum acrius, quod hauritur, affusa aqua *temperatur*, non *mitigatur*, studium acrius recte *mitigatur*, demta cogitatione *hauriendi.* Ceterum *acre* saepe cum *studio* coniungitur. Exempla attulit Gronovius, in quibus Iustin. XII. 16. de Alexandro Magno: *puer acerrimis literarum studiis eruditus fuit. Exacta pueritia per quinquennium sub Aristotele, doctore inclyto omnium philosophorum, crevit.* Ubi scribendum arbitror *inclytissimo.* Adde Tacit. Annal. II. 5. *Acriora in eum studia militum.*

Ultra quam concessum Romano ac Senatori. Verba olent glossam: "*acrius* i. e. ultra quam concessum Romano ac Senatori." Sed neque glossa sententiae loci convenit. Sententia, puto, haec est: Philosophia cogitatur, non universa, sed pars, Stoicae praesertim sectae, olim a Graecis, tunc a Seneca explicata. Versabatur in commendandis virtutibus, in laudanda libertate, contemtu mortis, cet. Libertas tam dulcis est, ut adolescentes paulo generosiores vel ipso nomine capti incalescant, imprimis erecta et sublimia ingenia, quibus inde pulchritudo ac species magnae excelsaeque gloriae arridet. Talis ardor semper, in libera quoque republica, multa pericula habet, plura et maiora in imperio malorum principum. Ergo prudentia matris imprudentiam filii Agricolae coërcuit. Ita *acrius* epexegesin poscit, non, *quam concessum Romano ac Senatori*, sed *quam concessum, quam tempora concederent*, vel simile. Vetus ista opinio, celebrata dicto Neoptolemi apud Ennium, *philosophan-*

V. Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligenti ac moderato duci, approbavit electus, quem contubernio aestimaret. Nec Agricola licenter, more iuvenum,

dum esse, sed paucis, nam omnino non placere, huc non pertinet. Apta esse poterat antiquae civitati Romanae, quum, ut ait Laelius apud Ciceronem, praeclarissimum sapientiae munus maximumque virtutis vel documentum vel officium putabatur, eas artes discere, quae efficerent, ut usui civitati essent; vetus ista opinio tyrannidi principum non erat apta. *Acrius, quam concessum Romano ac Senatori!* Quasi sermo esset de Gracchis et praeceptore Philosophiae Stoicae Blossio Cumano. Gracchi quoque habuere studium acerrimum, et mater Cornelia ardentes filiorum animos magis etiam inflammasse videtur, ut omnia pulchrae libertati impenderent. Iulia Procilla filium coërcens, prudentius fecit. Et quam diversa civitas aetate Gracchorum, ab ea, qua Agricola philosophiam discebat, et Claudius et Nero imperabant! Quanta tamen vis in verbis *Romano ac Senatori!* Acre studium philosophiae, dicit, concedi potest Graeculis magistris, vel homini Romano ex plebe, qui ipse aliquando fieri magister, et hunc quaestum habere cupit. Hoc veri nominis Romano iam indignum, quid Senatori! Qui sic iudicat, multos Romanos, et in his Senatores, Senecam, Cremutium Cordum, Priscos Helvidios, Herennium Senecionem, Arulenum Rusticum, Iunium Mauricum, vel disertim vel tacite laudare non potuit, ut in Annalibus et Historiis fecit. Testor v. c. Helvidium Priscum, maiorem, *qui ingenium illustre altioribus studiis iuvenis admodum dedit: non, ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita rempublicam capesseret. Doctores sapientiae secutus est, qui sola bona, quae honesta, mala tantum, quae turpia; potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum, neque bonis neque malis annumerant. Quaestorius adhuc, a Paeto Thrasea gener delectus, e moribus soceri nihil aeque ac libertatem hausit; civis, senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitae officiis aequabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus.* Huius, puto, Romani ac Senatoris non leve philosophiae studium fuit. Interim quaerendum, quid *senator* h. l. significet. Neminem vidi interpretantem, nisi Dronkium: „*Senatori*, i. e. futuro, vel potius, cuius pater fuit ex ordine Senatorio." Sed neque mater, neque Agricola sciebat, an unquam futurus esset *Senator*. Hoc sperari potest, sic non sine iactantia quadam narrari potest. Et ubi simile exemplum, *Senatori* pro *futuro Senatori*, nisi fortasse, qui iam esset a principe destinatus, quod certe de adolescente in prima iuventa non diceretur. *Senator* autem aliquis, patre senatorio natus, nusquam appellatur. Latinum est *eques natus*, patrem habuit *equitem*, non *senator natus*, nec patrem habuit *senatorem*, nisi is munere senatorio fungatur.

Contubernio aestimaret. Paulinus Agricolam, qui iam documenta dedisset, qualis esset, ipse, non precibus aut commendatione aliorum, in contubernium accepit. Tale contubernium erat iudicium, quanti eum aestimaret. Neque Agricola spem Paulini fefellit. Militiam enim, nec licenter, more iuvenum, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tri-

qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam retulit; sed

bunatus et inscitiam retulit, sed honore ac iudicio ducis se perdignum praestitit. Late patet usus, *per facta et gestus* significandi, quid cogites. Tacit. German. 29. *Manet honos, et antiquae societatis insigne: nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit.* ubi v. Gronov. Addam nonnulla interpretibus hic illic visa paullo difficiliora. Propert. I. VIII. *Et me defixum vacua patiaris arena Crudelem infesta saepe vocare manu.* Amica crudelis vela faciebat. Iratus eam revocabat, signa dans manu, ut ad litus reverteretur. Virg. Aen. VIII.626. *Regina in medio patrio vocat agmina sistro*, et v. 712. Nilum *Pandentemque sinus et tota veste vocantem coeruleum in gremium.* Valer. Flaccus III. 433. *Delius hic longe candenti in veste sacerdos Occurrit ramoque vocat.* Longe occurrit Argivis, eosque ramo, quem manu tenebat, vocat, ut accederent, ramo utitur pro voce. Alii accipiunt *novat*, lectum in Ms: Heinsius coniicit *rigat*, vel *irrorans;* Burmannus hic tacet, cum tamen similem Valerii versum V. 438. *Nudaque vocat dux agmina dextra* recte comparet cum Virgiliano *patrio vocat agmina sistro.* Interdum vox cum gestu iungitur: Sueton. Claud. 12. *Eosque spectacula edentes, surgens et ipse cum cetera turba, voce ac manu veneratus est.* Frontin. Strateg. I. IV. 33. *Cum relictus e militibus quidam a terra voce et gestu expostularet, uti tolleretur.* Eadem ratione milites armis *salutant:* Hirtius B. Afric. 85. *Armis demissis salutationem more militari faciunt.* Lucan. IV. 173. *Tantum nutu motoque salutant Ense suos.* Aurigae salutant flagello. Discimus ex Iuvenale Satir. VIII. 151. *Clara Lateranus luce flagellum Sumet, et occursum nunquam trepidabit amici, Iam senis, ac virga prior annuet.* Dio Cassius LXXVII. 10. Caracallus *ἀγωνοθέτην δὲ ἢ τῶν ἐξελευθέρων τινὰ ἢ τῶν ἄλλων τῶν πλουσίων ἐκάθισεν, ἵνα καὶ ἐν τούτῳ ἀναλίσκηται· προσεκύνει τε αὐτοὺς κάτωθεν τῇ μάστιγι καὶ χρυσοῦς ὥσπερ τις τῶν ταπεινοτάτων ᾔτει.* Casaubonus ad Capitolinum in Vita Veri fatetur se nescire, quid Dio vocet *προσκυνεῖν τῇ μάστιγι*: Salmasius interpretatur: "Caracallum aurigae habitu, manu flagellum tenentem ex inferiore parte adorasse agonothetas, et aurum postulasse; hoc enim esse *προσκυνεῖν τῇ μάστιγι*, flagello ori admoto sic adorare." Eadem fere repetit ad Vopiscum in Vita Probi 23. Haesit vir excellens in *προσκυνεῖν*, quasi nil aliud significet, quam *adorare*, proprie dictum, non recordatus vel Nepotis in Conone, ubi reddidit Latine *venerari* regem Persarum, quod Graeci *προσκυνεῖν* vocant. *Προσκυνεῖν τῇ μάστιγι* est, ut milites ense, ut Poplicola ille *submissis fascibus*, ita demisso flagello *salutare, venerari.*

Titulum tribunatus et inscitiam. Wexius multis de loco difficili disputat, aliorum opiniones refutat, ipse tandem sententiam sibi reperisse videtur deletis *neque segniter.* Ego plura esse delenda censeo, orta, ut semper, ex glossis, plerumque marginalibus. Legendum coniicio: *Nec Agricola, more iuvenum, ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam retulit.* Instituta rei militaris, ut aliis vitiis, ita hoc quoque laborabant, ut iuvenes, genere equestri vel senatorio, locum obtinerent, quo Plebeii raro, nec nisi per varios gradus et insignia peritiae et fortitu-

noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil appetere in iactationem, nihil ob formidinem

dinis documenta, perveniebant. Marius apud Sallust. B. Iug. 85. vehementer superbiam nobilium, plebeios contemnentium, invadit. *Reputate*, dicebat, *cum animis vestris, num melius sit, si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiae ac multarum imaginum, et nullius stipendii: scilicet ut in tanta re, ignarus omnium, trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii. Ita plerumque evenit, ut, quem vos imperare iussistis, is imperatorem alium quaerat.* Tacitus morem perversum probare non potuit. Quod saepe facit, idem hic fecit; reprehendit, non diserte quidem, intelligenti tamen non obscurum, quid cogitaverit. Si genus, potentia, opes, commendatio affinium et amicorum honores darent viris, quanto indignius, si iuvenes, sic temere ex domo paterna in castra venientes, tamen statim tribunatu ornarentur. Fortasse aliquid a magistris et ex libris didicerant, tubam nunquam audiverant. Nominabantur tribuni, revera non erant, sed tantum *titulo*, *titulo tenus*, ceterum et rei militaris, praesertim tribunatus bene gerendi prorsus inscii. Hinc fit, ut eos brevi laboris et militiae taedeat, vitamque et voluptates urbanas desiderent. Ergo veniam ab signis discedendi ad certum tempus petunt, novique tribuni segniter et lascive Romae vivunt. Ita *titulum et inscitiam tribunatus ad voluptates et commeatus* referunt. Longe alia mens, alia virtus erat Agricolae. Non contentus titulo, tribunus re quoque esse studebat. *Inscitia tribunatus* propria est omnibus iuvenibus, neque iis vitio verti potest, modo facerent, quod Agricola fecit. Hic iam primis castrorum experimentis se duci probaverat, adeo ut, non commendatione aliorum, sed suis ipsius virtutibus contubernio aestimaretur, deinde omni studio et industria hoc egit, ut nosceret provinciam et exercitum, disceret a peritis, optimos sequeretur, nec quidquam omitteret ut spem de se conceptam impleret. Agricola igitur tam laudandus est iuvenis, quam Cicero laudavit Lucullum virum in Acad. Quaest. IV. I. *Quum totum iter et navigationem consumsisset partim in percunctando a peritis, partim in rebus gestis legendis, in Asiam factus imperatur venit, quum esset Roma profectus rei militaris rudis.*

Noscere provinciam, nosci exercitui. Saepe eadem verba, alterum active, alterum passive sic iunguntur, sed ad homines et res easdem referuntur. Sallust. B. Iug. 1. *Neque regerentur magis quam regerent casus.* Livius IV. 35. *Neminem se plebeium contempturum, ubi contemni desissent.* Tacit. Hist. III. 24. *Antonius ubi noscere suos noscique poterat.* 25. *Agnitus agnoscensque.* Plinius Paneg. 21. *Ut reversus imperator, qui privatus exieras, agnoscis agnosceris.* 35. *Timeantque, quantum timebantur.* Secundum istam consuetudinem hic scribendum erat: *noscere provinciam et nosci*, vel *noscere provinciam et exercitum et nosci.* Sed cur Agricola, qui in omnibus aliis rebus studebat *noscere*, *discere*, *sequi*, *appetere*, *recusare*, *agere*, exercitui tantum *nosci* studuisset? Et ipse, credo prius *noscere* debebat exercitum, quam ab eo *nosci*, et artibus, quas Tacitus laudat, efficere, ut nosceretur. *Nosci* natura posterius, est fructus artium. Studium noscendi statim in eo cer-

recusare, simulque et anxius et intentus agere. Non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit. Truci-

nitur, quod a *peritis* discebat, quos, ita cognitos, aliis, minus peritis, praeferebat. Taciti puto: *noscere provinciam, noscere exercitum.* Est omnino boni ducis, noscere regionem, in qua versatur, neque minus noscere exercitum, ingenia et mores militum, imo et nomina tenere. Tacitus modeste de Agricola iuvene, quod Plinius tumide de Traiano in Paneg. 15. *Tribunus cognovisti per stipendia decem mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum, et diversam aquarum coelique temperiem. Quisquis paullo vetustior miles, hic te commilitone censetur. Inde est, quod prope omnes nomine appellas, quod singulorum fortia facta commemoras.* Utilitatem notitiae ostendit Xenophon in Cyrop. V. III. 48. *ἐδόκουν δὲ αὐτῷ οἱ γιγνώσκεσθαι δοκοῦντες ὑπὸ τοῦ ἄρχοντος καὶ τοῦ καλόν τι ποιοῦντες ὁρᾶσθαι μᾶλλον ὀρέγεσθαι καὶ τοῦ αἰσχρόν τι ποιεῖν μᾶλλον προθυμεῖσθαι ἀπέχεσθαι.* Verbum idem *noscere* provinciam, *noscere* exercitum eleganter repetitur, quo cupiditas *noscendi* magis appareat. Tacitus saepe ita loquitur, vel in hoc libello: cap. 9. *Procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores.* 41. *Absens accusatus, absens absolutus est.* Plinius Epist. V. 21. *Admonebat accusatores, admonebat reos.*

Simulque et anxius et intentus agere. Anxius et intentus significare debebit duas virtutes contrarias, sed in iuvene tribuno bene coniunctas. Quomodo significare possint, nondum intelligo. *Anxius*, dicunt, est cautus, *providus;* neque tamen anxietas ei obstitit, quominus, si res posceret, *intentus* esset, i. e. ad agendum *promptus paratusque.* Comparant Sallust. B. Iug. 7. qui similem laudem Iugurthae tribuat: *Et proelio strenuus erat et bonus consilio, quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerumque solet.* Sed vide, quam ista sint dissimilia. Iugurtha laudatur, quia vitabat, quod nimium erat et plerumque fiebat, Agricola laudatur, quia, quod nimium erat, sequebatur. Nam agebat *anxius* et *intentus.* Opponuntur *timidus* et *cautus*, ut apud Sallustium. *Anxius* etiam plus est quam *timidus*, neque reperio sic ad laudem boni ducis usitatum. Et ubi *intentus* de virtute militari, opposita *anxietati*, dicitur? *Intentus paratusque* saepe iunguntur, imprimis apud Sallust. ut B. Iug. 59. *Quae ab imperatore decuerint, omnia sibi provisa: proinde parati intentique essent, signo dato, Romanos invadere.* Cortius multa exempla attulit, unde satis apparet vocem non significare, quod hic in Tacito requiritur, minime sic opponi *anxio.*

Exercitatior magisque in ambiguo. Buchnerus emendat *excitatior*, i. e. ferocior, magis commota. Kritzius laudat, Wexius reiicit, quia non putat, hoc sic absolute dici. Fortasse dici poterat, ut v. c. Liv. IV. 37. *Clamor excitatior crebriorque ab hoste sublatus*, et alia adiectiva, v. c. *commotus.* Sed discrimen scripturae iudicandum puto ex significatione, quam Britanniae tribuas. Ea respicit vel Romanos, vel Britannos ipsos. Tacitus loquitur de tristi rerum conditione, in qua Romani versabantur. Britannia, provincia sua, pars imperii, *erat in ambiguo*, de possessione eius dubitabatur. Primum de salute, mox de victoria

dati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus; tum de salute, mox de victoria certavere. Quae cuncta etsi consilio ductuque alterius agebantur, ac summa rerum et recuperatae provinciae gloria in ducem cessit, artem et usum et

certare cogebantur. Omnia ad Romanos pertinent. Quare Britannia *exercitata* est, agitata et vexata ab incolis Britannis, quos spes libertatis *excitaverat*.

Mox de victoria certavere. Quamvis conditio rerum paullo esset melior, cum Romani iam non amplius de salute certarent, magnum tamen periculum erat et ignominia, si in provincia sua de victoria, semper dubia, esset certandum.

Quae cuncta etsi — in ducem cessit. Non intelligo, quorsum tota illa exceptio pertineat. Agricola erat iuvenis, vix annos viginti natus, tribunus quidem, sed qui inscitiam tribunatus cum aliis adolescentibus habebat communem; in eo tantum praeclarior, quod omni cura et studio discebat, ut fieret peritus. Quomodo Tacitus hic de eo sic loquitur, ut cap. 8. honorificentius loqui non potuerit, cum tamen Agricola iam annum aetatis unum et trigesimum attigisset, et legioni praepositus esset? Nec scio ista cum cetera oratione connectere: „etsi cuncta agebantur ductu alterius, eique laus recuperatae provinciae dabatur, ea cuncta artem et usum et stimulos addidere iuveni." Sed quo clarius appareat, quid velim, singula persequar.

Quae cuncta. Ergo et clades et ignominiae, trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus, agebantur consiliis ductuque alterius, non Agricolae, cuius in rebus istis nulla esset culpa, ut nulla laus recuperatae provinciae.

Consilio ductuque alterius. Quasi Agricola in exercitu fuisset legatus, vel tribunus aliquis, vetus militiae, suis meritis quasi altera persona, cui, si non maiorem, certe non minimam mutatae in melius fortunae partem, adeoque et gloriae concedi oporteret.

Summa rerum. Ea conficitur ex partibus omnium rerum, adeo ut cunctae unam efficiant. Eo omnes redeunt, in ea summa praesertim cogitantur, quae praecipuae in rebus, rerum caput sunt, *salus*, *vita*. Liv. X. 14, *Discrimen summae rerum animos augebat.* Tacit. Hist. II. 81. *Consilium de summa rerum Beryti habitum.* Hinc *summa rerum* transfertur ad potestatem, quae summam omnium rerum in se coniungit, summum imperium. Tacit. Hist. II. 33. de Tiberio: *Summae rerum et imperii se ipsum reservaret.* Vell. Paterc. II. 68. *In acie Pharsalica Africaque Caesar de summa rerum dimicat.* Neutra significatio, nec *salutis* nec *imperii*, sententiae convenit. *Salus* iam est in *recuperata* provincia, *imperium* in *ductu*. Neque conveniunt *summa rerum cessit in ducem.* Iungenda igitur *summa gloria rerum et recuperatae provinciae.* Hoc melius convenit cum verbo *cessit.* Nam *summa rerum gloria in ducem cessit* vel *ingens*, *maxima*, *praecipua* est, vel cogitationem habet magnae gloriae, cui proxima est ea quae in alterum cessit, in eum, cui cuncta ista artem et usum et stimulos addiderunt.

Gloria in ducem. Voces sic statim iteratae non suave sonant. Praecedit *ductu*, sequitur *gloria.*

Artem et usum et stimulos addidere iuveni. Optime cohaerent *quae cuncta artem et usum et stimulos addidere*

stimulos addidere iuveni, intravitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.

iuveni. Agricola ex iis rebus, quae acciderant, multa didicit: tam adversae, quam secundae peritiam et experientiam auxerunt, et incitarunt ut, quod minus recte egerat Paulinus, vitaret, quod recte, imitaretur, si quando ipse dux factus esset. Prospiciebat, quantam inde gloriam sperare posset.

Intravitque animum gloriae militaris cupido. Cupido gloriae dudum intraverat, iam in scholis Massiliae, ubi pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae penitus animo infixit. Prudentia matris, postea ratio et aetas cupidinem mitigarunt, nunquam exstinxerunt. Gloriam igitur, umbram virtutis, semper appetiit; et appetere debuit, cuicunque vitae generi se dedisset. Militia autem est prima pars vitae publicae, quam iuvenes Romani sequuntur. Agricolae tota fere militaris fuit. Prima experimenta probavit Paulino. Tribunus avide didicit, et ubique sic se gessit, ut isto honore dignus videretur. Quid eum movebat et stimulabat, nisi cupido gloriae? Hanc secum in Britanniam gerebat, hanc statim, primo die ibi ostendit. Ea non triennio fere post, recuparata a Paulino provincia, primum intravit. Nam ut ista leguntur, *gloria, quae in ducem cessit*, animum Agricolae cupidini militaris gloriae aperuit, effecitque, ut, finita expeditione, insula veteri patientiae restituta, animum iuvenis intraret.

Ingrata temporibus. Mirum dictu, quoties ea sententia in tam parvo libello iteretur. Iam in praefatione excusat *tempora virtutibus infesta.* Tempora deinde, hic, cap. 6, 17, 39, 40, 41, vituperantur. Sententia autem nunc posita est loco alieno, quae ad Agricolam apte referri non potest. Erat iuvenis, vitam militarem vix ingressus, nondum notus, nedum inter magna fama eminentes. Atque illud periculum ex fama militari praesertim ad principatum Domitiani pertinebat, quo Tacitus plerumque ipse refert, nunc autem Nero imperabat. Cupido quoque gloriae non adeo nocebat, quam *gloria*, cupidine quaesita et parta. Dicendum potius *gloriae cupido, ingratae.* Cupido, modesta et prudens, ut Agricolae, non puniebatur. Igitur haec ita interpretari cogimur: quae cupido gloriae utinam ne cepisset Agricolam! cum enim magna militari fama eminuisset, Domitianus, sinistre interpretatus, eum occidit.

Equidem hoc caput multis glossis inquinatum, et a Tacito sic scriptum esse coniicio:

Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligenti ac moderato duci, approbavit, electus, quem contubernio aestimaret. Nec Agricola, more iuvenum, ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam retulit; sed noscere provinciam, noscere exercitum, discere a peritis, sequi optimos, nihil appetere in iactationem, nihil

VI. **Hinc ad capessendos magistratus in urbem digressus Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam, sibi iunxit, idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur**

ob formidinem recusare. Non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit. Trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus; tum de salute, mox de victoria certavere. Quae cuncta artem et usum et stimulos addidere iuveni.

Haec sunt brevia, nervosa, facilia, Latina, in quibus Tacitum agnoscas: agnoscat, qui velit, in iis quae eduntur, ego non possum. Numerus locorum, ex glossis marginalibus corruptorum, in Taciti scriptis est insignis, praesertim in vita Agricolae. Sententia *intravitque animum — quam ex mala* vera est et bene expressa. Fortasse Tacitus in parte Hist. vel Annal. deperdita eam posuerat.

Ad maiora nitenti. De Latino *niti ad maiora* non est quod dubitemus. Cicero de Senect. 23. *Optimi cuiusque animus ad immortalem gloriam nititur.* Usitatius est *tendere.* Virg. Aen IX. 205. *Est hic, est animus lucis contemptor, et istum Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.* Quintil. Instit. Orat. VIII. 3. *Nec ad victoriam, sed ad solum finem laudis et gloriae tendat.* Plin. Epist. V. 12. *Me ad recta tendentibus quasi exemplar esse propositum.* Sed mirum mihi videtur, quod Tacitus illud matrimonium ita laudat. Est in laudatione nescio quid Agricola et ipso Tacito minus dignum. Agricola sibi iunxit Decidianam, ipse legit, petiit uxorem genere tam illustri natam. Fuisse *bonam* mox verbo memoratur, et ex concordia mutuaque caritate ostenditur. Hoc sine dubio Agricolae pluris erat, quam splendidi natales, atque ita prius dictum oportuisset. Sed uxor utilis erat marito, qui ad *maiora niteretur.* In verbo *niti* vehementius studium cernitur, quam in *tendere.* At viri, qualis Agricola, ad magnos honores non tanto ardore student pervenire; iam puer praecepta philosophiae acerrime hauserat; ea philosophia docebat quoque, *sola bona, quae honesta, mala tantum, quae turpia: potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum, neque bonis, neque malis annumeranda.* Agricola, tam probus, tam modestus, ab omni fama alienus, cui *famae etiam boni saepe indulgent,* sicuti, quasi bonis melior, in cap. 9. laudatur; huic, *ad maiora nitenti decus et robur accessit* ex matrimonio? Et quae sunt illa *maiora?* Fuerat tribunus, iuvenis; venit Romam ad capessendos magistratus. Nullum adhuc gesserat. Quaestor factus, poterat *maiora* concupiscere. Quomodo privatus, sine honore, concupiscere posset maiora, non intelligo. Fortasse interpretemur *maiora militiae* munera? Sed *capessere magistratus* studebat. Agricolam, si ista legisset, non probaturum fuisse credo. Praeterea Tacitus suspicionem iactantiae non satis cavit. Omnino sufficiebat narrasse socrum *splendidis natalibus esse ortam.* Nemo inique ferret. Sed si Agricola tantum decus et robur ab uxore nancisceretur, gener suam inde partem exspectasse, quamquam non profiteatur, tamen intelligitur. Verba, ni fallor, sunt glossatoris, et Tacitus scripsit: *Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam*

fuit. Vixeruntque mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto ma-

sibi iunxit; vixeruntque mira concordia cet. Ita statim apparet Agricolam illud matrimonium iniisse, non ambitione, sed amore, castitate aliisque virtutibus Decidianae ductum.

Per mutuam caritatem et invicem se anteponendo. Hic ablativus *anteponendo* erat necessarius, quia non habebat substantivum, quod eodem casu cum *caritatem* coniungeretur. Tacitus tamen et alii etiam extra necessitatem sic loquuntur, ut in Agric. 41. *Temeritate aut per ignaviam.* Liv. XXXIX 8. *Multa dolo, pleraque per vim audebantur.* Formula satis a viris doctis explicata est. Attigi, propter sequentia.

Nisi quod in bona uxore. Haec formula corrigit aliquid ex antecedenti sententia. Multi multa disputaverunt ad eam explicandam, in annotationibus ad Sallustium, Ciceronem, Livium, Tacitum, cui praesertim est familiaris, ad alios, et iam Casaub. ad Lamprid. de Vita Severi 2. Ratio qua quid ex antecedenti sententia corrigendum videtur valde differt. Simplicissima est v. c. Annal. III. 68. *Eadem ceteri, nisi quod Lentulus dixit:* praeter Lentulum, excepto, quod Lentulus dicebat. Sunt exempla difficiliora, nonnulla difficillima, hoc, omnium, quae vidi, difficillimum. Igitur interpretibus minime convenit, ad quae verba nuntiati exceptio sit referenda, ad miram *concordiam*, ad *invicem se anteponendo*, an aliud inde sit eliciendum, cuius exceptio hic per *nisi quod* significetur. Longum est de variis eruditorum sententiis exponere; sunt, credo, prope viginti. In his nulla mihi visa est simplicior quam Mureti, qui *nisi* delendum censet. Et facile addi potuit a librario, qui coniuncta *nisi quod* saepissime in scriptis Taciti legerat, adeoque et hic requiri putabat. Intelligimus saltem: *per mutuam caritatem et invicem se anteponendo: quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est.* Fortasse tamen *nisi* poterat servari, et locus sic distingui et explicari: *vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem et invicem se anteponendo nisi; quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est.* Vixerunt mira concordia. Mutuo enim se amabant. Decidiana Agricolam, Agricola Decidianam sibi anteponebat. Sed vir interea non erat uxorius. Habebat enim coniugem bonam. Tum vero caritas mariti tanta esse potest, ut uxorem in multis rebus sibi anteponat, et cum ea certet, utrius amor vincat. Ita caritas tam laudanda est, quam culpanda, si habuisset malam uxorem, cum praesertim magnam vitae partem in provinciis degeret, ubi mulieres aviditati, luxui, aliisque vitiis facile indulgere poterant, et indulgebant. Vixerunt igitur *mira concordia*, utque viverent, *nitebantur per caritatem mutuam et invicem se anteponendo*, ita vixerunt, *nisi* per caritatem et anteponendo. Qui hic in Tacito vicies et saepius legerunt *nisi quod*, illi scripturae isti ita assueti sunt, ut nunquam aliud videre potuerint. Qui nunc vident *per caritatem et anteponendo nisi*, his, puto, illud *nisi*, praesertim sic in fine positum, tam mirum quam inusitatum videbitur: sed Tacit. Annal. I. 64. *Barbari perfringere stationes, seque inferre munitoribus nisi, lacessunt.* II. 74. *Et ceteris modice nisis,. inter Vibium*

ior laus, quanto in mala plus culpae est. Sors quaesturae provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit. Quorum neutro corruptus est, quamquam et provincia dives ac parata peccantibus, et proconsul in omnem aviditatem

Marsum et Cn. Sentium diu quaesitum. Hist. III. 11. *Quamquam omni modo nisi eripuere Sabinum.* Hirtius de B. Alexandrino 20. *Animo ad conandum nisi.* Sueton. Aug. 28. *Fecitque ipse se compotem voti, nisus omni modo, ne quem novi status poeniteret.* Tacit. Annal. XIII. 57. *Neque exstingui poterant ignes, non si pluvialibus aquis aut quo alio humore niterentur.*

Quod in bona uxore tanto maior laus. Si maritus hoc faciat in bona uxore, sic se gerat erga uxorem, talis sit in uxore, quod ad uxorem pertinet. Plaut. Mil. Glor. III. I. 75. *Nam in mala uxore atque inimico si quid sumas, sumtus est.* Liv. XXX. 3. *Si forte iam satias amoris in uxore ex multa copia cepisset.* Hieron. I. adversus Iovianum: *In aliena uxore omnis amor turpis est, in sua nimius.* Plura annotavi ad Horatii Carmin. III. v. p. 204. *Amor in uxore* non est idem, quod *erga uxorem*, et male refertur ad *enallagen*; quod et fecit Burm. ad Propert. III. XVII. 28. Et Ruhnk. ad Vell. Paterc. II. 43. *Maior in eo civitatis favor, quam reis praestari solet*, dum explicat ex forma non vulgari pro *in eum*, *erga eum*, discrimen praetervidit. Ablativus habet significationem magis praegnantem, quae in omnibus exemplis cernitur. Ingentem copiam collegerat Gronovius in Lectionibus Tullianis, quarum particulam ex Ms. edidit vir doctus Suringar, in Relatione de Gymnasio, cui praeest, Leidensi, a. 1854—1855. Gronovius ablativum saltem elegantiorem vocat. Ceterum Tacitus hoc mutuae caritatis exemplum ita laudat, quia tam rarum erat. Optasse apparet, ut viri et uxores in simili caussa imitarentur. Saepe hoc facit in Germania, Historiis et Annalibus. Probe videbat, quo fonte derivata pernicies in patriam fluere non cessaret.

Sors quaesturae provinciam Asiam dedit. Non iungenda puto *sors quaesturae*, sed *sors dedit provinciam Asiam quaesturae*, in quaesturam, ut eam in Asia gereret. Usus iste casus tertii in Tacito est admodum frequens.

Dives ac parata peccantibus. Quo ditior est provincia, eo maior ibi praeda est, praeda *parata*, in promptu, atque offertur praetori et proconsuli, si velint peccare, officio deesse, satisfacere aviditati, rapere. *Parata*, ut Tacit. Hist. I. 6. *Ingens novis rebus materia, ut non in unum aliquem prono favore, ita audenti parata.* IV. 14. *Coniuges quoque et liberi sequuntur, parata hostibus praeda.* Curt. V. 1. *Haud dubitare se quin Alexander celeberrimas urbes agrosque omni copia rerum abundantes petiturus esset: praedam opimam paratamque ipsum et eius milites spectare.* Conf. Burm. ad Petron. p. 55. De voluptatibus hic non est quaestio. In ea re non opus erat mutua dissimulatione. Mores liberiores facile ferebantur. Quaestor et Proconsul propterea sermonibus hominum meliorum reprehendi poterant: ista non in iudicium veniebant. *Peccare* est genus, *voluptatibus indulgere*, species. Nonnulli interpretes fuere nimii in significatione ad hoc unum, quasi propria, restringenda, veluti Erhardus ad Petron. p. 411. et alii, explicantes Graecum ἁμαρτάνειν, v. c. in libris sa-

pronus quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filia, in subsidium simul et solatium; nam filium ante sublatum brevi amisit. Mox inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam

cris V. et N. T. Alii *paratam peccantibus provinciam* interpretantur „eam, in qua provinciales plerique promptos se administros scelerum magistratibus praebent." Sed hoc, puto, Asia habebat commune cum omnibus provinciis. Mali magistratus ubique malos provinciales inveniunt vel faciunt. Tacitus tantum quaestorem et proconsulem respicit. Hi iubent, provinciales parent, volentes an inviti non refert. Queri non audent.

Mutuam dissimulationem mali. Non puto *mali* a Tacito esse additum. Iam Lipsius ita putabat in èdit. a. 1585. quae annotatio in edit. sq. non est repetita. Librarius *mali* ex glossa superlineari recepisse videtur. Auctor glossae explicandum arbitrabatur, cuius rei dissimulatio esset redimenda. Sed res ipsa longe gravius reticetur, et cogitanda relinquitur. Proconsul erat pronus in omnem aviditatem, minimeque a *peccando*, furando abhorrebat, et facillime toleravisset idem in quaestore, si sciret quaestorem in proconsule esse toleraturum. Optabat mutuam peccandi, peccati, dissimulationem.

In subsidium simul et solatium. Liberi sunt subsidia, munimenta, adminicula, fulcra, quibus domus parentum fundatur. Licet saepius ita *liberi*, uno saltem plures, vocentur, de *uno* tamen filio filiave quin dicatur, dubitari non potest. Plin. Epist. IV. 21. *Cui nunc unus ex tribus liberis superest, domumque pluribus adminiculis paulo ante fundatam, desolatus fulcit ac sustinet.* Statius Silv. IV. 7. *alma Prole fundasti vacuos penates, venit ecce nobis Maximus alter.* Quominus eqidem interpreter de *subsidio honorum adipiscendorum*, totius loci sententia vetat. *Subsidium et solatium* ita coniunguntur, ut unam eandemque rem quae ad domum atque necessitudinem privatam pertinet, significari appareat. Eo magis, si ad honores adipiscendos pertineret, *subsidio* aliquid addi oporteret, quale v. c. *subsidium ad maiora nitenti simul et solatium domus.* Parum abest, quin *subsidium*, sic nude positum, haud Latine dictum putem. Neque vero *subsidium* in una filiola esset tantum, quantum honores appetenti satisfaceret. Sed Agricola, quem ex Tacito cognoscimus, non is erat, qui ex domo, filiola aucta, sibi spem in republica crescendi reponeret. Quod gener de socero narrat, eodem redit, ac si socer prius genero narrasset: „quaestor in Asia auctus fui filia, subsidio ad honores adipiscendos et solatio damni in filio nuper amisso facti." Plus tribuisse videretur subsidio, quam solatio. Indignum tali viro. Dixisset potius: *gaudium simul et solatium.* Sed fuerit tam cupidus honorum; si habuisset saltem duos liberos, atque adeo nata filia, haberet tres, habebat certe ius trium liberorum. Nunc non erat in uno magnum subsidium, nisi ius trium a principe acciperet. Omnia ista ab ingenio Agricolae sunt aliena.

Quiete et otio. Saepe iunguntur *quies et otium.* v. Ruhnk. ad Vell. Paterc. II. 68. In uno Vatic. legitur *quietis.* Fortasse corruptum ex *quietus.* Invidiose additum *otio.* Tribunatus habebat intercessionem, et negotia ingrata et difficilia his praeser-

tribunatus annum quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae tenor et silentium; nec enim iurisdictio obvenerat. Ludos et inania honoris medio rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior. Tum electus a Galba ad dona templorum recognoscenda, diligentissima conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium res publica quam Neronis sensisset.

VII. Sequens annus gravi vulnere animum domumque eius afflixit. Nam classis Othoniana licenter vaga, dum Intemelios (Liguriae pars est) hostiliter populatur, matrem

tim temporibus. Agricola, gnarus temporum, transiit, quasi non esset tribunus, sed privatus in otio viveret. Nihil fecit, ut olim Bibulus, quo consule nemo aliquid fieri meminerat. Tacitus haec de gestis ab Agricola honoribus brevissime absolvit. Nihil habebat, quod relatu esset dignum; nec quidquam agere poterat. Festinat igitur ad vitam soceri militarem.

Idem praeturae tenor et silentium. In Vaticanis *praeturae certior.* Correcturam Rhenani *tenor* omnes sequuntur. Ea possumus contenti esse, donec aliud melius inveniatur. Interea cogitavi an corrupta verbis transpositis restitui possint: *gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia certior et pro sapientia fuit. Idem praeturae silentium.* Maximum periculum a tribunatu plebis imminebat, si quis munere isto, ut par erat, fungi vellet. Sed vigor et industria non erant tuta: tutior, *certior* erat inertia, ea melius fidere poterant, imo pro sapientia habebatur. *Certum* et *tutum* sunt synonyma, quatenus synonyma dantur, sunt cognatae significationis. Virg. Aen. III. 393. *Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.* V. 349. *Certa munera*; quae apud Horatium *tuta merces*, μισθὸς ἀσφαλής, γέρας ἀκίνδυνον. Ut *coelum*, *mare*, *flumen* alia *certa* omittam in quibus notio *tuti* inest.

Medio rationis atque abundantiae. In Vaticanis *medio.* Fortasse melius legeretur: *media rationis atque abundantiae duxit.* Indicavit ea oportere esse *media* inter *rationem et abundantiam*, ipse medius erat inter utramque, ut Valer. Max. IV. 1. 13. *Medius inter secundas et adversas res animi firmitate versatus est.* Adiectivum cum genitivo construi notum est. Ovid. Metam. V. 644. *Et medium coeli terraeque per aëra vecta est.* Liv. XXVIII. 6. *Duas arces urbs habet, unam imminentem mari, altera urbis media est.* Ibi quoque legebatur *medio.* v. Gronov. Tacit. Annal. I. 64. *Medio montium et paludum porrigebatur planities.* Legam potius *media.* Talia noverat Grammaticus, qui Horatio adiecit Carm. II. 19. *Pacis eras mediusque belli.*

Intemelios. Vaticani *in templo.* Lipsius vere emendavit *Intemelios.*

Liguriae pars est. Nonnulli haec a glossatore profecta opinantur. Fortasse non iniuria, ait Wexius. Dronkius defendit ex cap. 22. *Vastatis usque ad Tanaum, aestuario nomen est, nationibus.* Praeterea multa Taciti exempla affert. Ego hanc causam uni-

Agricolae in praediis suis interfecit, praediaque ipsa et magnam patrimonii partem diripuit, quae caussa caedis fuerat. Igitur ad solemnia pietatis profectus Agricola nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in partes transgressus est. Initia principatus ac statum urbis Mucianus regebat, iuvene admodum Domitiano, et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. Is missum ad delectus agendos Agricolam integreque ac strenue versatum vicesimae legioni, tarde ad sacramentum transgressae, praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur; quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat, nec legatus praetorius ad cohiben-

verse sic iudicandam esse censeo. Si perspicuitas explicationem huiusmodi postulat, non est cur exempla habeamus suspecta. In iis, quae Dronkius affert, postulat Annal. XI. 13. XI. 30. Hist. II. 4. II. 23. III. 15. III. 21. III. 24. III. 45. III. 47. IV. 15. Si quis ista inspiciat, videbit, vel prorsus esse necessaria, vel, iis demptis, sententiam rerum adeo obscuram, ut vix intelligi possit. Iam videndum an perspicuitas hic omnino postulet parenthesin *Liguriae pars est.* Liguria iam a. 132 penitus subacta. Pars eius praecipua Intemelii, urbs Albium Intemelium, Straboni nota *πόλις εὐμεγέθης*. Tacitus Hist. II. 13. narrat milites Othonianos iras *in municipium Albium Intemelium vertisse.* De Liguria nihil addit. Romani, paulo humaniores, (rudes literarum Tacitum non legebant) plerique haud ignorabant, quam regionem imperii Intemelii incolerent. Qui nesciret et scire vellet, quaerebat vel in libris vel in tabulis geographicis. Hae erant saepe in pariete pictae, ut notum ex Varrone, et in membranis, quales cum secum circumferret Metius Pomposianus, a Domitiano interfectus est, ut narrat Sueton. Domit. 10. Historici igitur talia non explicabant, ne more scholastico doctrinam ostentare, et, nacti lectores viros, docere viderentur pueros. Longe diversa est ratio in cap. 22. usque ad *Tanaum, aestuario nomen est.* Nomen quippe et in regione barbara, et nunquam antea auditum. Quare ista, tamquam glossema, delenda esse iudico.

Matrem Agricolae. Cum non alia mater quam Agricolae possit cogitari, nam de matre uxoris dixisset *socrum, Agricolae* aliena manu additum suspicor. Atque hoc saepius accidit. Frequens repetitio est ingrata, si praesertim non necessaria. Ergo scriptores vitarum, quantum perspicuitas patitur, evitant. Testis Plutarchus et vel Nepos, quamquam ab Aemilio Probo in compendium redactus.

Profectus Agricola. Hic quoque proprium nomen minime desideratur. Imo melius abesset.

Ubi decessor seditiose agere narrabatur. Haec mihi valde obscura videntur. Decessor Agricolae, legatus praetorius legionis vicesimae in Britannia, narrabatur agere seditiose, nec potens erat ad cohibendam legionem, nimiam ac formidolosam quoque legatis consularibus; nec constabat, utrum legatus praetorius non posset cohibere propter suum ipsius ingenium, non

dum potens, incertum, suo an militum ingenio. Ita successor simul et ultor electus, rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos quam fecisse.

VIII. Praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus, placidius quam feroci provincia dignum est. Temperavit Agricola vim

sat strenuum, an propter ingenium militum, nimis ferox. Ita legatus praetorius simul narratur *agere seditiose*, et esse vel *iners* vel *invitus cedens militibus* seditiose agentibus. Haec quomodo conveniant, non assequor. Omnia puto ex annotatione marginali; annotatio ex Hist. I. 60. *Praeerat* (Britanniae) *Trebellius Maximus, per avaritiam et sordes contemptus exercitui invisusque. Accendebat odium eius Roscius Caelius legatus vicesimae legionis olim discors; sed occasione civilium armorum atrocius proruperat. Trebellius seditionem et confusum ordinem Caelio, spoliatas et inopes legiones Caelius Trebellio obiectabat.* Hinc glossa desumpta videtur, idque sine iudicio. Legatus enim praetorius neutiquam seditiose egit, sed ipsi milites: Tacitus narrat cap. 16. *Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecorus atque humilis, precario mox praefuit, ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem, haec seditio sine sanguine stetit.* Trebellius, legatus consularis, obiectabat seditionem Caelio, legato praetorio, cuius seditionis ipse, homo iners, avarus, sordidus, esset caussa. Vettii Bolani, qui successerat Trebellio, eadem erat inertia erga hostes, similis petulantia castrorum. Tacitus post scriptum hunc libellum nonnulla accuratius rescivisse potuit; haec quam vere narraverit, satis apparet. Difficultas huius loci Wexium non latuit. Ille verba *ubi decessor* .... putat esse glossam marginalem mutilatam, et alia sic legit: *vicesimae legioni, tarde ad sacramentum transgressae, praeposuit. Seditiose ea agere narrabatur, quippe legatis* cet.

Rarissima moderatione. Sallustius B. Iug. 45. ita laudat Metellum: *Tanta temperantia inter ambitionem saevitiamque moderatum.* Metellus nempe primum edicto adiumenta ignaviae sustulit: *ceteris arte modum statuit.* Ubi *arte* est *per artem*, oppositam *edicto*, quae *ars* erat testimonium moderationis. Cortius *arte* accipit pro adverbio *arcte.* Minus recte, puto. *Ars* Agricolae in eo cernebatur, quod malebat *videri* bonos invenisse, quam fecisse. Electus erat successor Roscii Caelii, qui milites suae legionis non poterat cohibere, et simul electus ultor militum, ut disciplinam et confusum ordinem restitueret. Hoc nunquam fere sine vi et poenis, interdum vel decimatione fiebat. Et successores plerumque in initio suscepti muneris sunt severiores, per ambitionem aut necessitatem. Ita *moderatio* Agricolae erat sane rarissima. Alioquin neque Sallustius ita in Metello laudasset, ipso illo verbo *moderatum* vocans, et Tacitus Hist. II. 22. de Valente, qui frustra *seditionem coercere coeptaverat*, tandem, usus consilio Alpheni Vari, praefecti castrorum, coercuit. Tum utili *moderatione non supplicium cuiusquam poposcit: ac ne dissimulans suspectior foret, paucos incusavit: gnarus civilibus bellis plus militibus quam ducibus licere.* Fuere qui *moderationem* Agricolae adversus legatum consularem interpretarentur.

suam, ardoremque compescuit, ne incresceret, peritus obsequi eruditusque utilia honestis miscere. Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum. Sed primo Cerialis labores modo

Placidius quam feroci provincia dignum est. Coniiciunt *esset, erat,* eiiciunt *est.* Hoc melius arbitror. Licet enim in *provincia* semper cogitetur Britannia, maior vis, sententia universe de omnibus provinciis vera, omisso verbo exprimitur. Sed Tacitum scripsisse puto: *placidius quam feroci provincia dignius.* Hoc corruptum videtur in *digniust,* eo facilius, quia verbi sequentis litera incipit a *t,* post *dignius* male repetita. Usus iste comparativi frequens Livio, et Tacito, v. c. Hist. IV. 40. *Quod manifestum reum ambitiosius quam honestius defendisset.*

Ne incresceret. Ernestus explicat *ne vis, ardor, incresceret;* sed redundare verba ista, meliusque abfore, quemvis videre arbitratur. Ego non video, neque in *incresceret* cogito vim et ardorem, sed ipsum Agricolam. Metaphora ab arboribus derivata. Arbor adolescens et robusta, veteri vicina, suis radicum fibris pleraque humi alimenta corripit, eaque sumit incrementa, ut vicinam brevi obumbret, et magis magisque marcescentem necet. Augetur damno alterius. Agricola eam vim sibi inesse sentiebat. Increscere poterat. Noluit: vim temperavit. Liv. XXVII. 35. de consulibus non amicis: *Nihil opus esse reconciliatione: acrius et intentius omnia gesturos, timentes ne crescendi ex se inimico collegae potestas fieret.* XXXV. 29. *Itaque si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliam materiam crescendi quam ex me quaerant.* X. 13. *Se gloria seniorum succrevisse et ad suam gloriam consurgentes alios laetum adspicere.*

Peritus obsequi. Usus, mos militaris fecerat *peritum* obsequi: ita didicerat, obsequi esse primarium in exercitu officium. Saepe *usu periti* coniungitur. v. Burm. ad Phaedri Fab. III. 3. *Eruditus* in scholis. Aliud saepe utile, aliud honestum in rebus videtur. Pugnam explicavit Cicero de Offic. III. 18. Quomodo interdum utilia honestis misceri possent ac deberent, Agricola didicerat Massiliae. Pugna hic erat difficilis. Nam, quod erat utile reipublicae, idem erat Agricolae. Si vim et ardorem non temperasset, qui eum noverant, fecisse dicerent reipublicae caussa; qui ignorabant, fecisse dicerent sua ipsius caussa. Igitur occasione tam speciosa ex Proconsule crescendi non usus est, sed medium tenuit, ut et provinciae et Bolano consuleret, suam utilitatem negligeret.

Habuerunt virtutes spatium exemplorum. Quam difficilis sit locus, apparet ex varia eruditorum interpretatione. Lipsius legebat *spatium et exemplum;* hac sententia: Cerialis et spatium campumque exercendis virtutibus dedit et exemplum. Pichena accipit de virtutibus utriusque, quae spatium habuerint exempla prodendi. Ernestus de unius Agricolae virtutibus, ceteri, spatium edendi exempla fortitudinis, plenam occasionem fortium factorum edendorum, quae alii ut exempla imitarentur. Hoc optimum foret, si *spatium exemplorum* ita posset accipi. Valde dubito an per Latinitatem liceat. Brevitas tam obscura nusquam in Tacito apparet. Quid non exspectasses de Agricola relatum, postquam Tacitus praemonuisset, virtutibus eius tunc

et discrimina, mox et gloriam communicabat; saepe parti exercitūs in experimentum, aliquando maioribus copiis ex eventu praefecit. Nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit; ad auctorem ac ducem ut minister fortu-

tunc apertum fuisse campum, in quo tot ac tanta fortitudinis documenta dedit, ut alii inde sumerent exemplum? Tacitus omne illud spatium paucis verbis raptim percurrit. Neque *virtutes* sic solam fortitudinem significant, sed alias quoque complectuntur, in quibus saltem *modestia* laudatur. Suspicor *exemplorum* esse glossema. Bolanus placidius Britanniae praeerat. Nihil agebat. Igitur Agricola vim suam temperare et ardorem compescere debuit, ne incresceret. Virtutes non habuerunt spatium se explicandi, experimentorum. Nunc Cerialis dabat *spatium virtutibus*, iis, quae bono duci decus et ornamentum afferunt, praecipue fortitudini. *Spatium* saepe significat tempus et occasionem aliquid faciendi, quod non expresse dicitur, sed ex rerum sententia cogitatur. Ovid. Heroid. VII. 73. *Da breve saevitiae spatium pelagique tuaeque*, i. e. quo saevitia tua et pelagi desaeviat. Virgil. Aen. IV. 433. *Tempus inane peto, requiem spatiumque furori; Dum mea me victam doceat fortuna dolere.* Qui versus pro interpretatione additus, non necessario postulabatur. Si Tacitus hic aliquid addendum putasset, addidisset fortasse vel *experimentorum*, vel *se explicandi*, vel *habuit spatium virtutum explicandarum*, vel simile. Quam elegans sit *explicare virtutes*, docent exempla v. c. quae attulit Cort. ad Ciceron. Epist. ad Famil. IX. 25.

Saepe parti exercitus in experimentum. Gloria, quam Cerialis cum Agricola communicabat, in eo cernebatur, quod saepe parti exercitus praefecit. Si praefecit, ut eum *experiretur*, non fecit ut communicaret gloriam. Delenda puto *in experimentum.*

Aliquando maioribus copiis ex eventu. In eo quoque communicata gloria, eaque maior, cerni debet. Nam, quem primum parti exercitus praeficiebat, eum nunc toti fere exercitui praeficit. Sed quomodo? Si prius experimentum bene cessisset. Hoc Tacitus Agricolae tam honorificum fuisse scribere potuit? Si igitur Agricola fortuna minus prospera usus fuisset, Cerialis nullam amplius gloriam cum eo communicasset. Iniquum iudicium, Ceriale et Agricola indignum. *Careat successibus, opto, Quisquis ab eventu facta notanda putat,* ut est apud Ovid. Heroid. II. 85. *Eventus*, ait Fabius apud Liv. XXII. 39, *stultorum magister est.* Idem Liv. XXVII. 44. *Apparebat, quo nihil iniquius est, famam ex eventu* habiturum. Illud *ex eventu* aeque indignum Ceriale et Agricola, atque superius *in experimentum.*

Ad auctorem ac ducem. Auctor et dux, ita coniuncti, eum significant, qui rem alteri suadet, eique ad agendam praeit. In talibus exemplis, quae multa sunt v. c. apud Ciceronem, *dux* plerumque non est *dux exercitus;* in aliis, *auctor et dux belli*, dicitur *caussa belli, suasor* idemque *dux exercitus.* Hic Cerialis, qui erat dux exercitus, appellatur auctor et dux *fortunae*, quam Agricola in bello habuit prosperam. Tacitus credo, ut vel ambiguum vitaret, potius scripsisset: *ad auctorem ducem*, vel *ad ducem ut auctorem referebat.*

Ut minister. Humile viro, qualis Agricola. Minister *Domitiani* poterat

nam referebat. Ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando extra invidiam nec extra gloriam erat.

IX. Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios ascivit, ac deinde provinciae Aquitaniae prae-

ferri, tamquam prudentia et necessitate coactus sic loqueretur. Nunc modestia plus quam nimia videtur, proxima simulationi.

Fortunam referebat. In proeliis fortuna multum valet, saepe plus, quam ducis consilium et fortitudo. Hoc illa vere ipsa praedicat. Iam Caesar, optimus iudex in B. C. III. 68. agnovit: *Fortuna, quae plurimum potest, cum in reliquis rebus, tum praecipue in bellis.* Hic autem Cerialis, qui ne ipse quidem proelio interesset, fortunam in manu habuisse videtur, eamque dedisse Agricolae; fere ut princeps aliquis duci praebebat consilium et deos. Princeps tamen non praebebat fortunam, sed ea dabat prosperos eventus. Legendum puto: *Nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit; ad ducem referebat.* nempe *famam.* Puteolanus *fortunam* omisit, sed in margine adscripsit.

Virtute in obsequendo. Virtus quaedam fortasse dici poterat, si Agricola *obsequeretur* Bolano, placidius Britanniam ferocem regenti. Tunc, *peritus obsequi*, vim et ardorem temperabat, se ipsum quasi vincebat, nihil praeter imperatum ausus. Ceterum in milite centurione, tribuno, legato, *obsequium* non est virtus, sed officium. Debebant obsequi, etiam si dux eos maximis periculis obiiceret, et ire iuberet, unde se non redituros scirent. *Obsequium* Agricolae minime erat *virtus*, quum praeerat Cerialis. Hic volentem incitabat, communicabatque primum labores et discrimina, mox et gloriam. Scribendum, ni fallor: *virtute in exsequendo*, scilicet iussa Cerialis, quando eum parti vel toti exercitui praeponebat, ut hostes invaderet. Quam prudenter et fortiter iussa exsequeretur, apparet ex *fama sua*, quam modeste referebat ad ducem.

Nec extra gloriam. Suspecta. Agricola praeerat legioni vicesimae. Cerialis, puto, utebatur illa legione, ubi multi labores et discrimina essent subeunda. Ita saepe fiebat, partim in poenam, partim ut peccata abolerent. Neque Agricola cum una legione res gerere poterat, unde gloriam insignem gravis momenti reportare posset. Hic quum suam operam Ceriali probasset maius imperium a duce accepit, praepositus parti exercitus, aliquando fere toti, omnibus legionibus. Sic data est amplior occasio gloriae consequendae. Consecutus est. Ita iam habebat *gloriam, extra quam* nunc non fuisse dicitur. Adde quod vox ipsa *gloriae* non pulchre repetitur. Tacitus potius scripsisset *nec extra laudem erat.* Ut in Terentio Andr. I. I. 37. *Eorum obsequi studiis, adversus nemini. Nunquam praeponens se illis, ita facillime Sine invidia laudem invenias, et amicos pares.*

Provinciae Aquitaniae. Wexius: „Nodum in scirpo quaerunt plerique editores. Nam *Provinciae Aquitaniae praepositus est*, non est, *praepositus Aquitaniae* terrae, *quae est provincia Romana*, sed potius *nactus est provinciam administrandae Aquitaniae.*" Ergo interpretatur *munus administrandae Aquitaniae*, itaque nil omnino mirum esse adiici *splendidae imprimis dignitatis*, i. e. in quo munere magna erat dignitas. Equidem illud discrimen non

posuit, splendidae imprimis dignitatis administratione ac spe

satis intelligo. Quem Vespasianus Aquitaniae provinciae praeponit, is, puto, semper provinciam nanciscitur in administrationem; atque hic dubitari eo minus potest, quia ipsa vox *administratio* statim additur. Ea significatio tam antiqua est, quam sunt *provinciae*, proprie ita dictae. Hinc usu venit, ut quodvis publicum munus, extra Romam, peregre, gerendum, appellaretur *provincia*, administratio praesertim belli, consulibus commissa. Liv. II. 54. *Furius inde et C. Manlius consules. Manlio Veientes provincia evenit.* XXI. 5. *Ceterum ex quo die* (Hannibal) *dux est declaratus, velut Italia ei provincia decreta bellumque Romanum mandatum esset.* Sic et *classis provincia*, *urbana* et *peregrina provincia*, accipiuntur. Tandem significatio translata est ad omnia negotia vitae privatae, primum, ut videtur a Comicis, ut Plaut. Pseud. I. II. 25. *Te, cum securi, caudicali praeficio provinciae.* In hoc et aliis exemplis est Ironia. Talem, puto, cursum habuit significatio *provinciae*, qui vulgo ordine perverso explicatur ab iis, qui loco secundo posuerunt, quod ponendum erat in tertio. Sed hic aliud quoque notandum est. Si *provincia* significat *publicum munus*, quod Romanus sorte, vel deinde voluntate Imperatoris nanciscitur, nomen regionis, in qua *munus* geritur, semper praeponitur. Caesar B. G. I. 15. *Quicumque Galliam provinciam obtineret.* Liv. II. 40. *Aquilio Hernici provincia evenit.* V. 2. *Valerio Potito Volsci provincia evenerat.* XXXIII. 43. *Consules Hispaniam citeriorem et Italiam provincias aut comparare inter se aut sortiri.* Vell. Paterc. II. 18. *Sorte obvenit Sullae Asia provincia.* XLII. 48. *Licinio consuli cui Macedonia provincia obvenerat.* Ipse Tacitus Agric. 9. *Britanniam ei provinciam dari.* 40. *Syriam provinciam ei destinari.* Nomine autem regionis non addito, nomen muneris praeponitur. Liv. XXX. 43. *Lentulus, cui classis provincia erat.* Si *provincia* interdum praeponitur, non adeo spectatur *administratio* praesidis Romani, sed aliae res, quae ad ipsos provinciales, incolas, proprie pertinent. Cicero pro Fonteio 1. *Provinciae Galliae M. Fonteius praefuit, quae constat ex iis generibus hominum* cet. Neque idem est *praefuit provinciae Galliae*, ac *provinciam Galliam obtinuit. Praefuit* nempe provinciae Galliae, postquam *Galliam provinciam* obtinuerat. Ita et Suetonius in Galb. 6. Praeterea Gallia Narbonensis eximie dicebatur *provincia* et *Romana.* Ergo et Valer. Max. III. VII. 6, scribere potuit: *cum* (L. Crassus) *provinciam Galliam obtineret:* ne dicam *obtineret* poni pro *administraret*, *regeret:* si *obtinere* referretur ad eos, a quibus *obtinuit*, dixisset credo, cum *Galliam provinciam obtinuisset.*

Administratione ac spe consulatus, cui destinarat. Ea provincia (i. e. ea procuratio) magnam adferebat dignitatem tum propter administrationem i. e. magnitudinem rerum ibi gerendarum, tum propter spem consulatus, quae cum hoc munere coniuncta erat. Ita praeclarus interpres cum Ernesto, nisi quod ille non utitur nomine *procurationis*, qua nec ego hic uterer, quia nomen *procurationis* hoc tempore tribuitur ipsis *procuratoribus* Caesaris, contra quos Agricola contendere nolebat, ut mox narratur. Sed *provincia* est munus, officium Aquitaniae administrandae, ipsa *administratio.* Ita Aquitaniae *administratio* esset dignitatis splendidae, *administratione.* Ne-

consulatus, cui destinarat. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura et obtusior ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile iusteque agebat. Iam vero tempora curarum remissio-

que *splendor* tantum cogitatur in *administratione*, sed etiam in ipsa regione, finibus amplissimis, rebusque aliis nobilitata. Sed dignitas provinciae administrationis, splendida quoque erat *spe consulatus*. Si, qui Aquitaniae praefuissent, more dudum recepto ac perpetua voluntate Caesarum Consulatu ornarentur, dignitas provinciae certe erat splendida. Sed unde hoc constat? Quis Caesar tantum huic mori tribuit, ut eo quasi cogeretur decedentem ex Aquitania praesidem facere consulem? Praeses in provinciis manebat saltem triennium. Mirum, Agricolam, iam inter patricios adscitum, et tam certa voluntate Vespasiani destinatum consulatui, totum fere illud triennium implevisse, prius quam revocaretur ad consulatum accipiendum. Iam *spes consulatus*, nixa fundamento Aquitaniae provinciae, parum significat in eo, qui iam esset a Caesare destinatus. Quomodo Vespasianus dici potest eundem revocasse *ad spem consulatus?* Glossator, puto, et hic suas partes egit, et Tacitus scripsit: *ac deinde Aquitaniae praeposuit splendidae dignitatis provinciae. Credunt plerique* cet.

Militaribus ingeniis subtilitatem deesse. Quintil. Decl. cccx. *Contemnunt hominem militarem, nihil minus quam litibus idoneum.*

Plura manu agens. Significationes formulae exposuerunt Duker. ad Florum I. I. Cort. ad Sallust. B. Iug. 5. et Lucan. IV. 535. Est, puto, quaedam significatio, huic loco praesertim apta, quum *manu agere* habet oppositum *verbis agere*, sive illud oppositum exprimatur, sive cogitetur. Sallust. B. Iugurt. 31. *Quid igitur censes? vindicandum in eos, qui hosti prodidere rempublicam: non manu neque vi, quod magis fecisse, quam illis accidisse indignum; verum quaestionibus et indicio ipsius Iugurthae.* Ubi Cortius comparat Pompon. de Orig. Iuris: *Initio civitatis nostrae populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit, omniaque manu a regibus gubernabantur.* Florus I. I. *Itaque matrimonia a finitimis petita: quia non impetrabantur, manu capta sunt.* Iurisdictio castrensis non utitur verbis, sed plerumque manu, plura agit manu, quam verbis. Tacitus simul tangit caussidicos, et consuetudinem fori litigiosi et clamosi.

Facile iusteque agebat. Quamquam Agricola non exercuisset calliditatem fori, tamen facile iusteque agebat *forum.* Iurisdictio illius non erat similis militari, sed civili. Notae sunt formulae, de praesidibus provinciarum conventus et forum agentibus. Cicero Epist. ad Famil. III. 6. *Qui te forum Tarsi agere, statuere multa, decernere, iudicare dicerent.* Vulgo, ni fallor, interpretantur *facile iusteque agebat*, erat facilis et iustus. Iurisdictio militaris, plura *manu agens*, suadet ut hic in *agebat* cogitemus *forum.*

Conventus ac iudicia. Non frustra addidit *iudicia.* Nam in conventibus alia quoque negotia tractabantur.

Et saepius misericors. Wexius explicavit, cur haec spuria esse arbitretur. Ego illi assentior.

numque divisa; ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus, et saepius misericors; ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona. Tristitiam et arrogantiam

Nulla ultra potestatis persona. In Vaticanis et Puteolano *nullam ultra potestatis personam.* Olim accusativum explicare conabar. Romani scilicet sic cum affectu loquuntur, quando rem aliquam *abesse* dicunt, cupiunt, laetantur, dolent. Vehementior est affectus in formula *quo mihi divitias! unde mihi Deos tam faciles!* v. Heins. ad Ovid. Heroid. XII. 84. Minus vehemens affectus in aliis exemplis, ut Plin. Epist. I. 9. *Rectam sinceramque vitam.* ubi videatur Cort. *Nulla persona* minus est, quam *nullam personam.* Tacitus Agricolam quasi facit dicentem: ubi satisfecerim officio, quo mihi ulterius personam potestatis! Virgil. Aen. I. 180. *Aeneas scopulum interea conscendit, et omnem Prospectum late pelago petit, Anthea si quem, Iactatum vento videat, Phrygiasque biremis, Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici. Navem in conspectu nullam! Tres litore cervos Prospicit errantes.* Ibi *navem* neque ab antecedenti *videat*, neque a sequenti *prospicit* regitur. Virgilius dolorem Aeneae exprimit, quasi nunc ipse esset Aeneas. Nullamne in conspectu esse navem! Poeta, Virgilio minor, fortasse scripsisset: *Nulla in conspectu navis.* Beckerus accusativum in Tacito sic defendit, ut ex sq. *exuerat*, hic cogitandum putet *nulla ultra potestatis personam induerat.* Interea omnes fere acceperunt emendationem Rhenani: *nulla ultra potestatis persona.*

Tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat. Iam in priore mea editione censebam haec verba a glossatore in margine esse posita, ut scirent lectores, qualis ea persona in praefectis provinciarum vulgo esset; deinde ex margine in textum translata. T. Faber in Epist. II. 18, quod postea vidi, eadem vehementer reprehendit, quamquam sint scriptoris „quem alii nunquam peccare aiunt; tantam in illo vim iudicii esse contendunt." Deinde sic disputat: „Inde quid fiet, si quis orationem concludat? *Ergo Agricola interdum arrogans, interdum avarus erat.* Egregium vero laudandi genus! Minores interdum virtutes in magnis viris referre, praestantium *virtutum iniuria est*, ut ipse post paulo ait; quid autem si illos laudaveris, quod ab humili et plebeio aliquo vitio remoti fuerint? Sed et gravius et deterius multo facit Tacitus; arrogantiam enim et avaritiam nullus *exuat*, qui utramque non habuerit." Iisdem fere argumentis utebar, ut non esse Taciti putarem. Sed valde miror Fabrum, iudicii acutissimi, tales ineptias potuisse tribuere Tacito, illi, in quo tantam vim iudicii fuisse omnes eruditi semper agnoverunt, quanta in hominem natum caderet. Perfectum fuisse, et nihil omnino unquam dixisse, quod fortasse paulo melius dici non potuisset, minime contendo; sed hoc contendo, ubi exempla, quale hoc, inveniantur, ea esse figmenta glossatorum. Faber nimirum de glossis non cogitabat. Interea alii aliis modis vulgata defendunt: ut, *tristitiam*, *arrogantiam* et *avaritiam* non esse vitia in praeside provinciarum (dixissent saltem *non censeri vitia*), sed quasi propria. Hoc Wexius, qui mihi ista eiicienti assentitur, bene refutat. Disputatis ab eo hoc addam: etiamsi praeses *tristis*, *arrogans et*

et avaritiam exuerat; nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. Integrita-

avarus ab omnibus omnino Romanis fuisset laudatus, Agricola, qua erat probitate et integritate, exempla aliorum nunquam imitari, Tacitus in honore soceri multo minus laudare potuisset. Agricola ipse vitia ista superiorum Proconsulum in Britannia primo statim anno compressit, orsus a se et domo sua, officiis quoque et administrationibus praeponens potius non peccaturos, quam damnans, quum peccassent. Talem Agricolam nunc non laudasset, quod *vitia* ista *exuisset*, ne tum quidem, si liceret interpretari *vitia exuere*, tamquam *immunem*, *liberum esse a vitiis*. Hoc, puto, non licet. Viri eruditi tamen ut probent, exempla adhibent Taciti, Annal. VI. 25. *Sed Agrippina aequi impatiens, dominandi avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat.* Histor. II. 68. *Cornelius Fuscus, vigens aetate, claris natalibus, prima iuventa, quietis cupidine, senatorium ordinem exuerat.* Prior locus faceret ad significationem *exuendi* confirmandam, praesertim explicatus verbis Kritzii: "non est *sua vitia feminea deposuerat*, sed vitiis iis, quae vulgo feminarum sunt, *vacabat*. Nunquam enim Agrippina impudica fuit. Conf. Annal. I. 33. III. I. II. 43. IV. 12." Ego locum paulo aliter explicandum iudico: Nemo nascitur sine vitiis. Vitia quaedam magis propria sunt viris, quaedam feminis. Feminis haec propria et innata, ut cupiant esse et videri formosae, dona naturae arte et cultu adiuvare, viris placere studeant. Haec iam sunt vitia, mediocria quidem, tamen vitia: quae nos *debilitates*, *infirmitates* appellare solemus, ea Latine una voce appellantur *vitia*, quorum qualitas et modus ex sententia loci iudicanda sunt. Haec vitia, ut omnia quae ingenerantur, et parva videntur, vires eundo nacta, crescunt, et, nisi mature domentur, imperant. Nugae ad seria ducunt, et feminas saepe imprudentes ad vitia graviora trahunt. Agrippina nata acceperat eadem vitia, quae omnes feminae. Sed aequi impatiens, dominandi avida, animum gerebat virilem, viris quam feminis similior, curas viriles amabat, vitia feminarum, quibus natura feminas induit, curis virilibus *exuerat*. Sic eadem Agrippina Annal. I. 33. *Castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in melius vertebat.* Nata erat animo commotiore. Eum non exuit quidem castitate et mariti amore, sed mitigavit. Alter Taciti locus ex Historiis omnino nihil huc facit. Fuscum clari natales fecerant ordinis senatorii. Munera gerebat vel plane nulla, vel isto ordine indigna. Quo ordine natales induerant, eo sua se cupiditate ipse exuerat. Ita Annal. XI. 25. *ius exuendi ordinis*, i. e. relinquendi ordinis senatorii. Neque Kritzius h. l. usus est ad opinionem suam confirmandam. Wexius *tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat* uncis inclusit. Suspicor librarios, glossis ex margine assumptis, hic plura turbasse, et Tacitum scripsisse coniicio: *ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus: ubi officio satisfactum, potestatis personam exuerat.* Formula figurata variis modis exprimitur. Cicero de Offic. III. 10. *Ponit enim personam amici, cum induit iudicis.* Tacit. Annal XV. 69. *Speciem iudicis induere non poterat.* XVI. 28. *Hostem Thrasea induisset.*

tem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent,

Facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuit. Tristitia et arrogantia sunt vitia *facilitati* contraria. Qui nunc laudatur ob *facilitatem*, is modo laudari vix potuit, quia tristitiam et arrogantiam exuisset. Ceterum comparo Tacit. Annal. II. 72. *Tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes: visuque et auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et arrogantiam effugerat.*

Abstinentiam. Oppositam *avaritiae*, quam modo *exuisse* non recte diceretur.

In tanto viro referre. Agricola munere praesidis egregie functus est. Quod in militari ingenio non exspectasses, ius optime dicebat, tempora curarum et remissionum probe dividebat, alius in vita publica erat, alius in privata. Igitur Aquitani eum amabant simul et verebantur. Merebaturne propterea appellari *tantus vir?* tam magnus vir? Vir *magnus* demum erat, cum Britannia perdomita, ut narratur cap. 40, Romae tranquillitatem et otium prudenti et aequo animo sequeretur, et plerique, *qui magnos viros per ambitionem* aestimant, viso adspectoque Agricola quaererent famam. Agricola, quantus vir esset, in Britannia ostendit. Anni in insula transacti partem vitae gloriosissimam, et praecipuum, unum fere huius libelli argumentum efficiunt. Ergo Tacitus tempora priora attingit, eumque festinantem videmus ad postrema. Si verba *in tanto viro* abessent, equidem nihil desiderarem: nunc saltem scribere debuit: *in tali viro.* Nullus fere scriptor est, in quo interpretes formulam *talis vir* non illustraverint, simpliciter accipientes pro *tantus.* Differunt tamen, et significatio ex antecedentibus iudicanda est. Haec qualitatem et quantitatem virtutum definiunt. *Tantus vir* plerumque appellatur ob res domi ac militiae gestas, tantus gloria et auctoritate. Sic Nepos, absoluta Hannibalis vita, cap. 13. *Atque hic tantus vir, tantisque bellis districtus, nonnihil temporis tribuit literis.* At Phaedrus Fab. III. 9. quum Socrates sibi parvas aedes fundasset, cuius mortem non fugiebat, si famam assequeretur, facit aliquem e populo dicentem: *Quaeso, tam angustam, talis vir, ponis domum?* Non *tantus.* Discrimen inde quoque apparet, quod saepe coniunguntur *talis ac tantus, tantus ac talis vir.*

Iniuria virtutum fuerit. Nescio quae iniuria fieret virtutibus tanti viri, si referret integritatem et abstinentiam. Poterat has referre, ut retulit, verbo memoravit, illas, maiores, non omittere, ut v. c. diceret integritatem et abstinentiam fuisse laudem ultimam inter ceteras laudes. Neque intelligo, quae esse potuerint virtutes in administranda provincia, praeter iam laudatas. Sed cui iniuria fieret, ipse erat Agricola, qui, pro ingenita probitate et modestia, nullam se laudem meruisse iudicaret, in eo tantum spectatam, quod officium fecisset. Ille diceret, quod est apud Horatium: *vitavi culpam, non merui laudem.* Tacitus, puto, scripsit: *iniuria fuerit,* omisso *virtutum.* Iniuriam fecerim Agricolae, iniuria esset in eo referre; *nefas est,* ut in simili caussa elegantius videbatur Velleio Paterc. II, 45. de Catone, qui pecuniam longe sperata maiorem ex Cypro Romam retulerat: *cuius integritatem laudari nefas est:*

ostentanda virtute aut per artem quaesivit; procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus pro-

insolentia paene argui potest, quod una cum Coss. ac senatu effusa civitate obviam, cum per Tiberim subiret navibus, non antea iis egressus est, qnam ad eum locum pervenit, ubi erat exponenda pecunia. Iam Lipsius ista cum Tacito comparavit. Et est eadem sententia, sed eiecto *virtutum.* Ruhnkenius in Velleio legebat: *cuius integritatem haud laudari nefas est.* Velleius, ut Tacitus, nullam ex abstinentia laudem talibus viris accedere arbitrabatur. Plin. Panegyr. 20. *Nec vero ego in laudibus tuis ponam, quod adventum tuum non pater quispiam, non maritus expavit. Affectata aliis castitas, tibi ingenita et innata est, interque ea, quae imputare non possis.* Claudian. de Theodos. cons. 214. *Nam spretas quis opes, intactaque pectore lucro Commemoret? fuerint aliis haec forte decora: Nulla potest laus esse tibi, quae crimina purget.* Eodem pertinent versus in Elegia ad Liviam Augustam 42, sq. *Quid tibi nunc mores prosunt, actumque pudice Omne aevum, et tanto tam placuisse viro? Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum, Ultima sit laudes inter ut illa tuas?* Quae intelligi poterant, si legerentur: *Quidque pudicitiae tantum sociasse bonorum, Ultima sit laudes inter ut illa tuas?*

Cui saepe etiam boni indulgent. Cicero pro Archia 2. *Trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur.* Tacitus Hist. IV. 2, *Erant quibus* (Helvidius Priscus) *appetentior famae videretur, quando etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur.* Erat igitur singularis quaedam et eximia virtus Agricolae, qui ne illud quidem quaereret, quod hominibus quasi ingeneratur, quo optimi quique maxime ducuntur et trahuntur.

Ostentanda virtute aut per artem. Quomodo talis vir unquam quaerere potuit famam ostentatione et arte? Illum minime laudaveris, dicendo, *non quaesivisse.* Neque excusaretur exemplo bonorum hominum, si illi quaesiverint. Ipse aliis exempla virtutum praebebat. Legendum saltem erat, mutata distinctione: *Ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent ostentanda virtute aut per artem, quaesivit.* Sed videndum an, si male de Agricola dicatur, recte de bonis dicatur. *Indulgent saepe famae.* Verum est, neque propterea culpantur, tamquam magno vitio laborent. Est unum ex mediocribus istis, quibus propter studium gloriae ingenitum et omnibus commune, ignoscitur. Est φιλοδοξία. *Indulgent* autem saepe famae *ostentanda virtute aut per artem*, non est vitium mediocre, est κενοδοξία. Omnis ostentatio et ars in hac caussa prodit vanitatem. Ergo interpretes rem sic explicare coguntur: "*per artem*, hoc fit cum blandiendo precandoque aut largiendo etiam impetramus ab aliis, ut nos quantumlibet falso commendent ac laudent." Iidem exempla huius artis afferunt ex Taciti Annal. XV. 21, 22. et Dione Cassio XLVI. 25. Augustus τῷ ὑπηκόῳ προςπαρήγγειλε μηδενὶ τῶν προςτασσομένων αὐτοῖς ἀρχόντων, μήτε τῆς ἀρχῆς χρόνῳ μήτε ἐντὸς ἑξήκοντα ἡμερῶν μετὰ τὸ ἀπαλλαγῆναι σφᾶς, τιμήν τινα διδόναι, ὅτι τινὲς μαρτυρίας παρ' αὐτῶν καὶ ἐπαίνους προςπαρασκευαζόμενοι πολλὰ διὰ τούτου ἐκακούργουν. Apud Tacitum Paetus Thrasea suadet: *adversus novum pro-*

curatores, et vincere inglorium et atteri sordidum arbitrabatur. Minus triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed

vincialium superbiam dignum fide constantiaque Romana capiamus consilium, quo tutelae sociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat, qualis quisque habeatur, alibi quam in civium iudicio esse. Mox senatus, auctore Principe, sanxit: *ne quis ad concilium sociorum referret, agendas apud Senatum Propraetoribus Prove consulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur.* Quas igitur laudationes, arte quaesitas, Augustus ita culpavit, nec concessit nisi post diem sexagesimum, quam legati ex provinciis decessissent, quas Nero sustulit, tali famae studio etiam *boni* saepe indulsisse dicerentur? Si male de *bonis*, quanto peius de Agricola? Quare scribendum puto: *Ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent, quaesivit.*

Et vincere inglorium et atteri sordidum arbitrabatur. Talis victoria tam facilis est, ut nulla inde gloria paretur. Victoria *non est operosa, non habet laudem*, ut poëtae dicunt. *Inglorium vincere* non potest referri ad inimicum dignitate inferiorem. Nam erant saepe procuratores, quos vincere tam difficile quam gloriosum legatis. *Atteri* interpretantur: „non plane vinci, sed aliqua ex parte contundi, i. e. detrimentum opinionis accipere, maculam contrahere." Hic metus, hoc periculum non est in victoria facili. Detrimentum opinionis in ipsa contentione spectatur. Indignum Agricola, tali viro et legato, contendere cum homine moribus minus probatis et plerumque vili genere. Hoc arbitrabatur sordidum. Cicero de Rep. I. 5. *Accedere ad rempublicam plerumque homines nulla re bona dignos, cum quibus comparari sordidum, confligere autem, multitudine praesertim incitata, miserum et periculosum.* Senecae est: *cum superiore contendere furiosum, cum pari anceps, cum inferiore sordidum.* Ad istum modum in verbo *atteri* debet inesse significatio *contendendi.* In certamine Agricolae cum procuratore utrimque quasi manus conseruntur. Veniunt ad complexum, alter alteri *atteritur.* Attritus procuratori decorus, legato sordidus aestimatur. Si talis significatio non potest inesse verbo *atteri*, corruptum videtur.

Ac statim ad spem consulatus revocatus est. Legitimum tempus administrandae provinciae erat triennium, caussae, cur legati diutius detinerentur, vel citius revocarentur, variae. Si Agricola totum triennium implevisset, non me offenderet *ac statim revocatus est*, quamquam vel sic minus eleganter mox sequatur *et statim Britanniae praepositus est.* Nunc male conveniunt: Agricola nondum triennium in Aquitania detentus, triennio nondum impleto, *statim revocatus est.* Sensisse videtur acutus et prudens interpres, explicans *statim*, quod grammatice pendet ex *revocatus est*, sententia ipsa monstrante pro adiectivo poni, ita revocatus est ut statim sperare consulatum iuberetur. Sunt in Tacito multae loquendi formulae ab usu communi remotae, quarum ratio grammatica sic tamen constat, ut sententiae loci non repugnet. Si convenientia non nisi difficillime et contorte ostendi potest, atque id tantum con-

quia par videbatur. Haud semper errat fama; aliquando et elegit. Consul egregiae tum spei filiam iuveni mihi despon-

fici, quod intelligi videatur; huiusmodi locos non iniuria, puto, habere licet suspectos. Idem interpres tandem ipse agnoscit, usum adverbii pro adiectivo attributivo, nitentem elliptica ratione, h. l. fieri paulo insolentiorem, quia praepositio *ad* est adiuncta. Sed fac usum non esse insolentem, quid iuvat? Qui ante legitimum tempus a Principe revocatur ad spem consulatus, hic consulatum sine dubio nanciscitur. Semper revocatur aliquamdiu ante Kalendas Ianuarias, nisi sufficiendus sit consuli mortuo. Cui bono revocatur ut *statim* consulatum sperare iuberetur? Si non *statim*, i. e. anno qui instabat, fieret consul, duodecim menses integros exspectare debebat. Tum Vespasianus Agricolam nondum revocasset. Delenda censeo *ac statim*, fortasse errore librarii, iam *statim Britanniae* respicientis, hic scripta.

Haud semper errat fama, aliquando et elegit. Coniicio ista ex margine huc translata esse. Iam primum eiectis, tota narratio melius cohaeret. Tum sententia ipsa non erat necessaria, cum mox sequatur, *statim Britanniae praepositus est*, neque suo loco ponitur. Veritas enim sententiae, *famam non semper errare*, anno demum post confirmata est. Hinc leve momentum, quod sententia iam nunc habet, etiam levius fit. Deinde Tacitus scripsisset *haud semper errat opinio*, quia praecessit *comitante opinione.* Mutatum substantivum ostendit haec aliunde sumpta. *Fama et opinio*, non multum quidem differunt, in *opinione* tamen plus est quam in *fama.* Ergo coniunguntur, et *opinio* postponitur *famae.* Cicero Epist. ad Famil. XVI. 21. *Gratos tibi exoptatosque esse, qui de me rumores afferuntur, non dubito, mi dulcissime Tiro: praestaboque et enitar, ut in dies magis magisque haec nascens de me duplicetur opinio.* Caesar B. C. III. 56. *Pompeius ut famam et opinionem hominum teneret.* Liv. XLV. 38. *Militum magis in hoc universique populi Romani fama agitur. Primum ne invidiae et ingrati animi adversus clarissimum quemque civem opinionem habeat.* Iul. Capitol. in M. Anton. 12. *Cum quendam Veterasinum, famae detestandae, honorem petentem moneret, ut se ab opinionibus populi vindicaret.* Tandem versus senarius *Haud semper errat fama, aliquando et elegit*, in quo *elegit* antique pro *eligit*, prodit gnomam, ex poëta aliquo in margine positam. Tales sunt gnomae monostichae, v. c. ex Menandro, P. Syro, aliis excerptae, quibus Grammatici Florilegium ornabant. *Aliquando et elegit*, ut in gnoma P. Syri: *Casus quem saepe transit, aliquando invenit.* Forte accidit, an consilio, ut P. Corn. f. Hooftius, h. l. metrum servaverit? *Niet altijd doolt de Faam, zomwijls verkiest zij ook.* Tales autem sententiae et in graecis poetis leguntur, Romanisque saepe erant exemplo. Hesiod. Oper. 761. *Φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται ἥντινα πολλοὶ Λαοὶ φημίζουσι.* H. l. utitur Casaub. ad Spartian. in Adrian. 4. *Corrupisse eum Traiani libertos, opinio multa firmavit. Opinio*, ait, non est *δόξα*, sed *φήμη ἣν πολλοὶ φημίζουσιν.* In uno Vatic. haec, quae eiicienda putavi, parenthesi erant inclusa. Wexius mihi assentitur, eique haec gnome tam trita et quotidiana videtur, ut vix putet ab ipso Tacito additam, praesertim cum nihil faciat

dit, ac post consulatum collocavit; et statim Britanniae praepositus est, adiecto pontificatus sacerdotio.

X. Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos non in comparationem curae ingeniive referam, sed

ad illustranda ea, quae ibi narrantur plane vulgaria. Quam saepe Tacitus, insertis ex margine versiculis poëtarum sit corruptus, docuit iam Ernestus in Praefat. p. LXIV. ed. Oberl. Attulit exempla ex Ms. Guelferb. cuius margines multos versiculos et particulas versiculorum habent. Hi quam facile in textum migrarent, intelligitur. Si igitur huc illuc migrasse videantur, coniectura probabili sunt eiiciendi. Fertur tamquam Taciti in Germ. 39. *Stato tempore in silvam, auguriis patrum et prisca formidine sacram, omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt.* Ibi, credo, suus cuique sensus dicet Tacitum scripsisse: *Stato tempore in silvam sacram omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt.* et medium hexametrum ex poëta adiectum.

Consul egregiae tum spei filiam mihi despondit. Inscitia librariorum ex hoc quoque loco apparet. Scripserant *Graeciae* et *grate*, Iidem, credo, adverbium male transposuerunt, et Tacitus dederat: *Consul tum egregiae spei filiam mihi despondit.* Ista sibi respondent *consul tum despondit, ac post consulatum collocavit.* Ita cap. 5. *Tum de salute, mox de victoria certavere.* Cicero in Bruto 88. *Hortensius inciderat in Cottae et Sulpitii aetatem, excellente tum Crasso et Antonio, post Iulio.* Tacitus laudat conditionem, qui acceperit uxorem iam a consule desponsam. Vulgo interpretantur *tum* significare spem postea non irritam fuisse, alii *tum* pro *quae tum erat.*

In comparationem curae. Quod veteres scribebant ut ederent, faciebant quanto maximo possent studio, diligentia, industria, labore, idque omne uno nomine *curae* complectebantur. Hinc *cura* et *curae* sensim coeperunt significare idem quod *scripta.* Si verum est, quod Muretus dicit, in Taciti Annal. IV. 11 pro eo, quod vulgo legitur *quorum in manus cura nostra venerit*, in libris antiquis inveniri *scripta nostra venerint*, putarem *scripta* esse interpretationem *curae.* Gronovius nescit qui sint isti libri antiqui, quasi Mureto, fraude quadam in his rebus noto, fidem non habeat. Ipse *curam* exemplis illustrat. Addo Ovid. Trist. II. 1. *Quid mihi vobiscum est, infelix cura, libelli, Ingenio perii qui miser ipse meo!* Idem ex Ponto II. IV. 15. *Quod tu laudaras, populo placuisse putabam: Hoc pretium curae dulce recentis erat. Utque meus lima rasus liber esset amici, Non semel admonitu facta litura tuo est.* Phaedrus in Epilogo libri II. 3. *Quod si labori faverit Latium meo, Plures habebit, quos opponat Graeciae. Si livor obtrectare curam voluerit, Non tamen eripiet laudis conscientiam.* Corn. Severus de Aetna 24. *Fortius ignotas molimur pectore curas.* Nemesian. Cyneg. 58. *Talique placet dare lintea curae.*

Ingeniive. Verba *ingenium*, *ingeniosus*, *ingeniose* saepe ad *eloquentiam* referuntur. Hic quoque referri, apparet, quia mox dicit priores idem argumentum *eloquentia percoluisse*, quibuscum non vult certare *ingenio*, i. e. eloquentia, scribendi elegantia. Tales erant Livius et Rusticus, *eloquentissimi.* Ita et in l. l. Ovidii: *ingenio perii.* Liber de arte Amatoria infelix illi *cura*, opus, labor, liber fuit, cum

quia tum primum perdomita est: ita, quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima, spatio ac coelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur; Gallis in meridiem etiam inspicitur; septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari

praesertim ingeniose esset scriptus, eoque avidius legeretur. Tacitus scripsit *ingeniive*, non *ingeniique*. Differunt: *cura* est studium, labor, qui libro componendo adhibetur, *ingenium* saepe, non semper, est fructus studii et laboris, nec semper quaeritur. Distinxit Quinctil. Inst. Orat. III. 1. 22. *Ubicunque ingenio non erit locus, curae testimonium meruisse contentus.* Valer. Maximus in Praefatione: *Aut quis, compos mentis, domesticae peregrinaeque historiae seriem, felici superiorum stilo conditam, vel attentiore cura, vel praestantiore facundia traditurum se speraverit?* Plinius in naturali historia eloquentiam nec quaesivit nec quaerere potuit. Libri sunt, ut ipse dicit, *non capaces ingenii;* quare *utilitatem iuvandi praetulit gratiae placendi.* Mens igitur Taciti, ni fallor, haec est: referam Britanniae situm et populos, non ut meam curam, librum, hanc libri partem, cum scriptis aliorum comparari velim; nam ineptum esset gloriari me tradere rerum fide, quod illis esset negatum; neque ut ingenio et eloquentia cum iis certem. Ut in ipsa hac libri parte illis fide superior, ita eloquentia minor sum. Wexius, si *cura* significaret *librum*, haud sciebat an Tacitus tum *ingeniique*, non *ingeniive* scripturus fuisset. Si verum est, mallem *ingeniique*, quam interpretationem desererе.

Quas Romana notitia complectitur. Pro *Romani noverunt*, *novimus*, dictum in re simplici ac tenui grandius mihi et ornatius videtur. Vel solum illud *Romana* maius aliquid postulat, quale v. c. illud Livii XLIV. 1. *Virtus populi Romani iam terrarum orbem complectentis.* Fortasse melius erat: *quas Romana ditio.* Tacit. Annal. XV. 13. *Armeniis, semper Romanae ditionis.* Ambros. Epist. I. 17. *Homines qui sub ditione Romana sunt.* Claudian. III. de Cons. Stil. 159. *Nec terminus unquam Romanae ditionis erit.* Eutrop. Hist. IX. 13. *Romanam ditionem ad fines pristinos varia bellorum felicitate revocavit.* Interim haud dissimulo, quod in Servianis ad Virg. Aen. I. 622 legitur: „*ditione:* potestate. omnis enim potestas dictis constat, id est, imperio; et quaerendus nominativus huius nominis." Servius quidem, ut neque alii Grammatici, Tacitum non legit: nec mihi cognitum est exemplum nominativi. Ita usitatius foret: *quas Romani ditione complectuntur.*

Spatio ac coelo. Haec variis modis tentata et explicata sunt. Lipsius eleganter *maxima spatio* coniungit. Beckerus intelligit *spatium* magnitudinem geometricam, *coelum* latitudinem geographicam. Mihi in mentem venerat: *positione ac coelo*, i. e. positione coeli, ut scripsit auctor cap. 11. Wexius interpretationem Beckeri diligentissime explicat, adeo ut assensus vix negari possit.

Septentrionalia eius. Pronomen *eius* non esse Taciti videtur. Genitivi pronominum *eius*, *illius*, centies a librariis adduntur.

pulsantur. Formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae

Vasto atque aperto mari. Caesar B. G. III. 9. *Longe aliam esse navigationem in concluso mari, atque in vastissimo atque apertissimo Oceano.* III. 12. *Summaque erat vasto atque aperto mari difficultas navigandi.* Coniectura N. Heinsii *inaperto* non est probanda. Heinsius talia subito in chartam coniiciebat, quae postea, credo, amplius considerata, delevisset. Neque laudamus Ernestum, quod omnia, quae a Burmanno acceperat, Heinsiana, sic sine delectu edidit.

Formam totius Britanniae. Nomen Britanniae ad fastidium iteratur. Audi brevissimo intervallo separata: *Britanniae* situm, *Britannia* insularum, totius *Britanniae*, esse *Britanniam.* Tacitus non ita scribit. Hic omnino sufficiebat: *Formam Livius veterum* sq. Praecessit *Britanniae situm.* Explicato breviter *situ*, dicit de *forma.* In qua cogitari *Britanniae*, res ipsa loquitur.

Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi. Wexio admodum mirum videtur Tacitum in iis scriptoribus, qui Britanniam descripserint, nullam facere Iulii Caesaris mentionem, quem alibi, in Germ. 28. commemorat. Neque, ait, in hunc cadit, quod initio huius capitis dicitur: *quae priores nondum comperta eloquentia percoluere.* Addit se amplecti nolle opinionem Britannorum militarium, qui omnes Caesaris commentarios putabant non a Caesare esse scriptos, quippe qui prodant ducem regionum ignarum, atque artis belli et usus militaris expertem; dubitare tamen, an illa descriptio Britanniae B. Gallico V. 12—14. ab ipso Caesare sit composita, praesertim cum non satis apto loco interiecta sit, et, omissa ea, narrationis perpetuitas non conturbetur. Et ego semper dubitavi an capita illa recte Caesari possent tribui. Accurata Britanniae descriptio iam olim commentarios Caesaris faciebat suspectos. Neque ea defendi potest, ut defendit Davisius ad B. G. V. 13. quasi Caesar ista ex fama cognovisset. Nam, ut alia omittam, quae tam brevi et tot tantis difficultatibus impeditus scire non potuit, vel *longitudo insulae*, ipsis passuum millibus finita, non sic ex fama discitur. Equidem ista de Britannia manu librarii ex alio scriptore Commentariis inserta esse coniicio, nec tantum ea, quae leguntur IV. 12—14. sed etiam quae leguntur IV. 33. de *essedariis.* Nam et hoc genus pugnae satis intelligitur ex V. 16. et, licet breviora, quam quae inserta sunt de Britannia, aptam orationis connectionem aeque atque alia impediunt. Tacitum quidem nihil eorum in commentariis vidisse credo. Qui Caesarem in German. 28 sic laudat: *Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum Divus Iulius tradit*, idque propter testimonium in una re, sic brevissime dictum, ille tam multa, quae idem summus auctorum de Britannia tradidisset, sic silentio praeterire non potuit. Librarios ista commentariis Caesaris inseruisse ex opere Quinti Ciceronis coniicere auderem, si illum hoc opus absolvisse et edidisse constaret. Marcus frater in Epist. II. 16. Quinto scribit: *O iucundas mihi tuas de Britannia literas! Timebam Oceanum, timebam litus insulae. Reliqua non equidem contemno, sed plus tamen habent spei, quam timoris, magisque sum sollicitus exspectatione ea, quam metu. Te vero ὑπόθεσιν scribendi egregiam*

vel bipenni assimilavere. Et est ea facies citra Caledoniam,

habere video. Quos tu situs, quas naturas rerum et locorum, quos mores, quas gentes, quas pugnas, quem vero ipsum imperatorem habes! Ego te libenter, ut rogas, quibus rebus vis, iuvabo. Quintus Cicero erat legatus Caesaris in Britannia. Ille plura indagare potuit quam Caesar. Sed de opere nil constat. Fortasse omnia desumta sunt ex Fabio Rustico, qui scripsit *Historiam temporum*, principibus Claudio et Nerone, ter a Tacito in Annalibus memoratus. Neque a vero abhorret, si quis coniiceret, ipsum Rusticum in Britannia fuisse, muneri alicui praepositum, fortasse Didio Gallo a 51—58 legato, ante occupatam a Suetonio Paulino insulam Monam. Necdum cognita erat Caledonia. Igitur Fabius Rusticus formam Britanniae assimulavit *bipenni*. Et forma bipennis est triangularis, triquetra. Notae sunt huiusmodi comparationes ex Mela, Plinio, aliis. Librarius in Caesare istam comparationem Rustici omisit, ut verosimile est alia omisisse. Negligentius certe in omni hac fraude egit; nisi post primum falsarium accesserit alter, qui omissa a priore verba Rustici addiderit. Quae nunc in Commentariis Caesaris leguntur, in iis non cernitur concinnus rerum ordo, quem Caesar et Caesari similes observabant. Ille saltem descriptionem a capite 13 incepisset. Ceterum, quae librarii inseruerunt, eleganter scripta sunt. Eloquentia magis appareret, si inseruissent cuncta integra. Utut est, si non ex Fabio Rustico inseruerunt, fecerunt ex alio. Caesarem quidem de ipsa Britannia nihil dixisse, apparet, credo, vel ex cap. 13, ubi Tacitus scribit: *Divus Iulius, quamquam prospera pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse.* Quae notitia Britanniae a tali expeditione sperari poterat? Et, si Caesar aliquid ad insulam cognoscendam scripsisset, Tacitus verbo memorasset, expeditionem tamen non omni fructu caruisse. Iste fructus certe erat admodum exiguus, quod Britanniam posteris modo ostenderat. Plura de spuriis istis non disputabo. Addere tantum lubet, quae leguntur in I. Celso, seu F. Petrarcha, ed. Schneid. p. 49. *Multa quidem scriptores de Britannorum moribus locus hic continet, quae sciens eadem ratione praetereo, qua praeterii Suevorum. Mutata sunt omnia. Ecce enim exempli gratia scriptum est: Leporem gallinam atque anserem gustare fas non putant; quorum certe hodie non gustum modo, sed nec esum respuunt. Omitto alia stultiora de moribus. Ad res gestas redeo.* Cur ille *scriptores?* Sed et hoc et totum argumentum, nisi iam explicatum sit, aliis explicandum relinquo. Wexius recte posset.

Et est ea facies citra Caledoniam. Quis laudat: *formam* Britanniae assimulavere bipenni. Et est ea *facies* Britanniae? Aliquod discrimen sentiretur, si v. c. scripsisset: *Britanniam assimilaverunt formae bipennis. Et est ea facies.* Quamquam *forma* et *facies bipennis* promiscue usitentur. Pomp. Mela II. 2. *Post spatiosa modice* (terra) *paulatim se ipsa fastigat, et quasi in mucronem longe colligens latera, facie positi ensis allecta est.* Plinius H. N. IV. 12. *Peninsula ad formam gladii in transversum porrecta.* Latinum erat: *formam assimulavere. Et est ea forma.* Talia saepe, etiamsi perspicuitas non exigat, repetuntur v. c. a Caesare. Sed semper eadem verba. Tacitus repetisset vel *forma—forma*, vel *facies—facies*, sed non

unde et in universum fama est transgressis. Sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam li-

est necessarium. Sufficit: *Et est ea, citra Caledoniam*: nempe, et est *ea*, talis forma.

Unde et in universum fama est transgressis. Sic edidi cum Kritzio. In Vatic. erat *transgressis* et *transgressus*, corruptum ex *transgressis*. Rhenanus inde fecit *transgressa*, quod plerique secuti sunt. Kritzius interpretatur: „*fama est transgressis*, i. e. qui ex continenti in Britanniam transgressi sunt, eam famam de totius insulae facie accipiunt. Ne te in hac sententia offendat *transgressis* nude positum, eodem modo Tacitus infra dixit c. 15. *Quantulum enim transisse militum?* 18. *Media iam aestate transgressus Agricola. Transgressis* autem addidit Tacitus, quia eorum, qui in continenti essent, nihil plane intererat de Britanniae forma quaerere." Wexius *transgressis* delet, idque glossema ortum putat ex eo, quod pertinebat ad alium locum, nempe ad verba *seu durante originis vi* (transgressis.) Mihi dudum in mentem venerat difficultatem levissima transpositione tollere: *Unde et in universum fama est. Sed transgressis, immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur.* Unde et in universum fama invaluit eam formam esse totius insulae, cum sit solius Britanniae, non Britanniae et Caledoniae. Nam qui transgrediuntur Britanniam et penetrant in Caledoniam, videbunt insulam extremo litore tenuari velut in cuneum. *Transgressis*, ut cap. 24, postquam locutus erat de Clota et Bodotria, quae diversi maris aestibus per immensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur, quod tum praesidiis firmabatur, atque omnis propior sinus tenebatur, *summotis velut in aliam insulam hostibus*, addit: *quinto expeditionum anno transgressus, ignotas ad id tempus gentes domuit. Transgressus* igitur illud spatium, venit in fines Caledoniae. Usus iste dativi casus in participiis Graece et Latine frequentatur. Explicaverunt interpretes ad Herodot. II. 29. Ἀπὸ Ἐλεφαντίνης πόλιος ἰόντι ἄναντές ἐστι χωρίον· et ad Liv. I. 8. *Locum qui nunc septus descendentibus inter duos lucos est.* Tacitus Hist. III. 71. *Porticus in latere clivi, dextrae subeuntibus.* Ceterum pro *unde et in universum fama est*, fortasse melius erat *in universam*, sc. Britanniam. Ita Hist. II. 20. *Ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.* Postea vidi Doederlinum quoque legisse *sed transgressis*. Feilitzschius, in Indice scholarum in Universitate Litteraria Gryphiswaldensi a. 1859 habendarum, haec scripsit: „Verissimam puto Doederlini coniecturam, qui unius verbi transpositione locum emendavit. Nam, cum statim subiungat Tacitus; *sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam littore terrarum velut in cuneum tenuatur:* ille participium *transgressis* ex eo, ubi in codicibus scriptum est, loco motum huc reposuit: *sed transgressis velut in cuneum tenuatur.* Intelligendi sunt, non qui ex continenti in Britanniam, sed qui ex ipsius Britanniae parte citeriore in Caledoniam transgressi sunt. His illud enorme spatium velut in cuneum tenuatur, h. e. hi illud in cuneum tenuari vident. Sic enim et Graeci et Latini, formam aut situm locorum designantes, dativum parti-

tore terrarum velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. Dispecta est et Thule, quia hactenus iussum, et hiems ap-

cipii usurpant, ut quasi conditionalis enuntiationis instar sit, significetque qua conditione alicui loca illa sic, ut dicunt, sita aut conformata appareant. Liv. I. 8. XXXII. 4. Plura dabunt Gronov. ad I. 8. Oudend. ad Caesar. B. G. V. 2. De Graecis satis est Mathiaei Grammaticam laudare § 388, 6." Haec Feilitzschius: idem vir doctus scribendum suspicatur: *unde et in universum fama*, deleto *est*. Et melius puto.

Ceterum et hic et in aliis veterum scriptorum locis mihi contigit, ut easdem emendationes facerem, quas iam fecerat Doederlinus, unus ex amicis Germanis, quem propter ingenium, doctrinam et modestiam multum amavi. Quo tristior mihi ante paucos dies venit epistola viduae, coniugem dilectissimum obiisse. Placide quiescas, optime Doederline!

Insulas, quas Orcadas vocant. Romani iam temporibus Augusti et Tiberii altius in Oceanum septentrionalem penetrasse videntur, quam novimus. Explicavit Ruhnken. ad Vell. Paterc. II. 106. Aditus portusque Hiberniae cogniti erant per commercia et negotiatores, cap. 24. His nihil arduum est. Sine dubio longius processerant, praesertim sub Claudio, qui primus post I. Caesarem Britanniam denuo intravit. Tunc insulae Orcades ita erant notae, ut Pomp. Mela de iis iam loquatur III. 6, quasi nemo nesciret esse insulas, nec ubi iacerent: *supra Britanniam est Iuverna. Triginta sunt Orcades, angustis inter se ductae spatiis.* Factum Claudii Romanis gratissimum accidebat. Scriptores aequales sine dubio vehementer laudabant, cum praesertim Claudius ipse insulam adiisset. P. Mela l. l. *Britannia qualis sit, qualesque progeneret, mox certiora et magis explorata dicentur. Quippe tam diu clausam aperit ecce principum maximus, nec indomitarum modo ante se, verum ignotarum quoque gentium victor.* Tacitus quoque eum vocat *operis*, rei gravissimae gloriosissimaeque,*auctorem*. Isti scriptores et Orcadas imperio Romano adiectas esse videntur memorasse. Ex his, puto, Eusebius, Eutropius, alii, sumserunt. Eutrop. VII 13. *Claudius Britanniae bellum intulit, quam nullus Romanorum post Iulium Caesarem attigerat: eaque devicta per Cn. Sentium, et A. Plautium, illustres et nobiles viros, triumphum celebrem egit, quasdam insulas etiam, ultra Britanniam in Oceano positas, Romano imperio addidit, quae appellantur Orcades.* Sed quid significat, *additas* esse? Vel brevis mora aliquot Romanorum in una alterave insula sufficiebat, ut rebus deinde partim per Romanos classiarios, partim per scriptores in maius auctis, Orcades in ditionem Romanam venisse existimarentur: fere ut saeculo XVI Portugali, Hispani, Neerlandi imperio suorum quique regum et civitatis addidisse dicebantur insulam, in qua crucem vel vexillum, possessionis documentum, terrae infixerant. Ergo Tacitus narrat Orcadas non modo *inventas* sed etiam *domitas* fuisse. Sic

petebat. Sed mare pigrum et grave remigantibus; perhibent ne ventis quidem proinde attolli; credo, quod rariores terrae montesque, caussa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est, ac multi

Eusebius et Eutropius, quos Oudend. ad Sueton. Claud. 17. Verheyk. ad l. l. Eutropii, et deinde alii erroris accusant, excusari posse arbitror. Ceterum parum abest, quin Tacitum scripsisse putem: *ac simul incognitas ad id tempus Orcadas invenit domuitque.* Glossator *Orcadas* interpretatur: *insulas quas Orcadas vocant.* Nomen Orcadum lectoribus Taciti satis erat notum, sed ipsae *incognitae*, quia nemo unam perlustratam descripserat. *Incognitum* minus est quam *inauditum.* De numero insularum non constabat. *Orcades* incertum significant.

Quia hactenus iussum, et hiems appetebat. Sic legitur in Vatic. Interpretantur: Dispecta quidem est Thyle, neque tamen adita, quia non ultra progredi iussum erat. Altera caussa, cur Thyle tantummodo dispecta fuerit, est hiems, quae appetebat, i. e. instabat, appropinquabat. Est aliquid, quod mihi vel in tam facili interpretione moratur. Agricola iusserat praefectum classi non propius accedere ad Thylen, quam *dispici* posset; satis eum facturum, si *dispexisset*, ex longinquo videret, ita tamen ut accurate dignosci posset. Veteres non habebant tubos, vitro polito utrimque clausos, quibus oculi muniti loca remota dispicerent. Igitur solis oculis utebantur. Iam nautae eos habebant quidem longo usu exercitatos et peritos, eoque cernebant acutius, quam alii; si tamen praefectus classi tam prope ad Thylen accessisset, ut *dispicere* posset, vix aberat spatium, quod intra quartam horae partem absolveretur. Nam in isto mari, et hieme appetente, longus prospectus impediebatur. Poëtae vocant *vada caligantia* et *nigram Thylen.* Agricola *iusserat* praefectum non ultra progredi: iusserat igitur et *progredi*, quoad *dispiceret.* Quid si non posset? Iussa tamen exsequi debebat. Sed talia non imperantur, nisi cum exceptione, *si coelum et venti permittant.* Agricola, puto, de Thyle nihil iussit. Si *dispici* iussisset, iussisset saltem adiri. Quanta gloria, vel ipsi Domitiano, si Romani tandem pedem intulissent in insulam, quo nemo ita intulerat. Hoc esset: *tibi serviat ultima Thyle*, quod Virgilius Augusto frustra optaverat. Ne de Orcadibus quidem iussisse videtur, quia legimus *ac simul invenit domuitque*, i. e. puto, dum Britanniam circumvehebatur, eodem tempore invenit et domuit, quamquam non esset imperatum, *dataeque* tantum *vires ad Britanniam circumvehendam.* Altera difficultas est in *hiems appetebat.* Sine dubio recte interpretantur *instabat*, *appropinquabat.* Sed hiems iam erat. Tacitus narrat cap. 38. *Ubi exacta iam aestate spargi bellum nequibat, in fines Borestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, praefecto classis circumvehi Britanniam praecepit. Datae ad id vires.* In vita Agricolae *aestas* sola expeditionibus datur. Si et *hiems*, tamquam singulare memorat auctor: ita cap. 18. *Tum Agricola quamquam transvecta aestas, ire obviam discrimini statuit.* 22. *Hostes aestate*

retulere. Unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus ac-

atque hieme iuxta pellebantur. Coniicio vel in *iussum* aliquid latere, quod, cum *hieme* coniunctum, impediebat, quominus plus faceret, quam Thylen *dispiceret*, quominus ipsam insulam adiret, quo verbo significaretur *gelu*, *glaciem nebulas*, *caliginem* vel simile, impedivisse: vel nihil esse Taciti, nisi: *Dispecta est et Thyle. Sed mare pigrum et grave remigantibus. Perhibent ne vento quidem proinde attolli.* Praefectus classi Britanniam circumvectus est. Hoc Agricola praeceperat. Interea simul Orcadas invenit et domuit. Dispexit quoque Thylen. Fortasse et adiisset. Sed mare pigrum et grave remigantibus aegre patiebatur, quamquam prope aberat. Ne velis quidem satis uti poterant. Nam venti in isto mari sunt tenues et rari. Praefectus igitur, visa eminus Thyle, retro cursum circum Britanniam direxit.

Nusquam latius dominari mare. Delendum puto *mare.* Fortasse ortum ex -*nari* male repetito, fortasse ex glossa, cuius auctor non intelligebat post *dominari* cogitandum *aestum.* Nolo, ait, quaerere naturam Oceani septentrionalis, neque naturam aestus, quod multi iam fecerunt. Hoc unum addere lubet, *aestum* in Oceano esse vehementiorem, quam usquam. *Mari* propterea quoque deleri praestat, quia brevi intervallo iteratur: *aperto maris*, *novissimi maris*, *mare pigrum*, *continui maris.* Iam *aestus* dominatur, agit dominum, igitur et montibus se inserit, tamquam *in suo*, velut hos quoque possideret.

Multum fluminum huc atque illud ferre. Dictu difficillimum, quid significet: *mare fert huc atque illuc multum fluminum.* De *fluminibus*, proprie dictis, accipi non potest. Ergo eruditi Germani interpretantur voce vernacula *Strömungen*, *Meeresströmungen.* Ita ipsi fere agnoscunt vix Latinum esse *flumina maris.* Et pluralis *flumina* iam insolitum est, nec simile exemplum invenitur. Tacitus saltem dixisset *diversum maris flumen.* Sed neque *maris flumen* exemplo confirmatur. Latinum puto *maris cursum*, *agmen*, *impetum*, fortasse et *fluorem.* Servius ad Virg. Aen. II, 782. *Leni fluit agmine Thybris.* „leni impetu, vel fluore." Interpretes afferunt Pomp. Melae III. 3. de Sinu Codano, *magnis parvisque insulis referto. Hac re mare, quod gremio litorum accipitur, nusquam late patet, nec usquam mari simile; verum, aquis passim interfluentibus ac saepe transgressis, vagum atque diffusum facie amnium spargitur.* Haec ad explicandum Taciti *multum fluminum* non faciunt. Sinus iste, inquit Mela, crebris insulis interruptus, non habet faciem maris, sed amnium, fluminum, suum quodque cursum tenet, quo fit, ut mare quasi componatur ex multis amnibus, fluminibus. Mela loquitur de *aestu*, qui in sinu Codano non reciprocatur. Tacitus autem tantum loquitur de *aestu*, qui nusquam vehementius accrescit. Coniicio: *Unum addiderim, nusquam latius dominari, multum fluentem huc atque illuc ferri; nec litore tenus accrescere aut resorberi* sq. Omnia ad *aestum* pertinent, et vere de eo narrantur, qualis erat in Caledonia, et nunc quoque est, celebratus in fabula Romanensi Gualteri Scoti, una ex pulcherrimis, *Pirata.* Illam naturam aestus ante Agricolam Romanis ignotam fuisse, Tacitus credere videtur. Neque plane

crescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire et iugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

XI. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, in-

idem est, quod iam Plinius H. N. II. 97. ex Pythea Massiliensi tradiderat, *octogenis cubitis supra Britanniam intumescere aestus*. *Ferri* de aquis multo impetu ruentibus usitatum. Horat. Carm. III. 29. *Cetera fluminis Ritu feruntur lapides adesos Stirpesque raptas et pecus et domos Volventis una — Cum fera diluvies quietos Irritat amnes*. Ovid. Metam. VIII. 582. ubi Achelous loquitur: *Intumui, Quantusque feror, cum plurimus, unquam, Tantus eram.* Atque ita interpretor *aestum*, non qui *multum fluit* sed *qui multus fluit*; ergo *multum fluentem* plane ut Virg. Georg. III. 20. *Undantem bello magnumque fluentem Nilum*, i. e. *μέγαν ῥέοντα*, ut iam Bentl. interpretatur ad Horat. Satir. I. VII. *Salso multoque fluenti*. Poetae formulam Graecam imitantur, quibus fluvius dicitur *πολὺς ῥεῖ, λαβρὸς ῥεῖ, λαβρὸς ἐπαιγίζει*. Ut *multus*, ita *plurimus*: Virg. Aen. VI. 638. *unde superne Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis*. Quod Harduinus non intellexit, cum pueriliter dictum putaret; nec Burmannus bene comparavit cum exemplo Georg. I. 187. *cum se nux plurima silvis Induet in florem*. Nam ibi Virgilius modo ingentem copiam, in Eridano, et ingentem copiam, sed cum vi et impetu superne ruentem, significat. Ovid. l. l. *quantusque feror, cum plurimus*, scilicet *feror*.

Aut resorberi. Puto *ac resorberi*. Aestus accrescit litore tenus, aut resorbetur, vix cogitari potest, nisi *aut resorbetur litore tenus*. Vicissitudo contraria postulat *ac* vel *et*. Sic in ortu et occasu solis, v. c. apud Catullum *Soles occidere et redire possunt*. Plin. N. H. II. 97. *Et de aquarum natura complura dicta sunt. Sed aestus maris accedere et reciprocare maxime mirum*. Wexius quoque malebat *ac*, et comparat cap. 12. *nec* (solis fulgorem) *occidere et exsurgere affirmant*.

Ceterum Britanniam. Totum hoc caput cum dimidia parte capitis sequentis usque ad verba *universi vincuntur* transponendum est post verba *nondum ut serviant* capitis 18 ineuntis. Ita optime expediuntur difficultates eae, de quibus disputavi Pp. 144. Descriptionis igitur Britanniae partes hoc modo se exceperunt, *Britanniae situm populosque — velut in suo*. Coelum *crebris imbribus — quam nobis avaritiam*. Ipsi Britanni — *nondum ut serviant*. *Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint — universe vincuntur. Igitur primus omnium Romanorum D. Iulius* cett. WEXIUS.

Ut inter barbaros, parum compertum. Ut apud barbaros, talia parum comperta esse solent. Ergo nos aliquid coniicimus ex habitu corporum, quia ex illis nihil certi cognoscere potuimus. Plane incuriosi, ut putant interpretes, ne barbari quidem usquam fuerunt. Caesar B. G. VI. 18. Galli *se omnes ab Dite patre prognatos praedicant, idque ab Druidibus proditum dicunt*. Druides sine dubio nonnihil Britannis prodiderant, quorum disciplina ibi reperta et inde in Galliam translata sit, ut idem Caesar narrat. Ceterum Tacitus de sua ipsius gente nihil pro comperto tradere solebat. Livius testatur primas origines et proxima originibus decorata esse fabulis poëticis. Romani origines suas conse-

digenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii, atque ex eo argumenta. Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem asseverant. Silurum colorati vultus, torti plerumque crines, et posita contra Hispania Iberos veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt. Proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio coeli corporibus habitum dedit. In universum tamen aestimanti Gallos vicinam insu-

crabant et ad Deos auctores referebant. Quid aliud faciebant Druides Galli, eorumque magistri Britanni? Ubi est culpa indicii non veri? In Tacito, an glossatore? Sufficiebat certe: *indigenae an advecti*, *parum compertum*. Glossa sumpta esse videtur ex Germaniae cap. 45. *Nec quae natura*, *quaeve ratio gignit*, *ut barbaris*, *quaesitum compertumve*.

Sedes occupasse. Ita in Vat. *Δ*, in altero *hitasse*, sed punctis notatum. Hinc vulgo edebatur *habitasse*. Melius *occupasse*, et convenit advenis, qui, relicta patria, traiecto mari, aliam regionem capiunt, occupant sedem. Ita v. c. Vell. Paterc. III. 3. *Achaei*, *ex Laconica pulsi*, *eas occupavere sedes*, *quas nunc obtinent*.

Proximi Gallis et similes sunt. Saepe *similis* absolute ponitur, pro *similis illi*, cuius nomen non expressum facile ex sententia intelligitur, ut Graece ὅμοιος. Dixi nonnulla ad Horat. Carm. IV. 5. p. 294. Hic tamen ellipsis mihi paulo durior videtur in *et similes sunt* sc. *Gallis* vel *his*. Maluissem: *proximi Galliae*, *Gallis et similes sunt*. Nemo ignorat, ex iisdem verbis, quae continuo iterantur, saepe unum excidisse. Iam Wexius scribendum existimabat, *proximi Gallis his et similes sunt*.

Seu durante originis vi. In Vatic. *usu*, unde Rhenanus *vi*. Tacitus duas similitudinis caussas proponit, vim durantem originis, seu positionem coeli. Novimus eum constructionem saepe mutare. Nec me ista offenderent *seu durante vi*, *seu positio dedit*, nisi media adderentur *procurrentibus terris*. quare oratio elegantius sic procederet: *seu durans originis vis*, *seu*, *procurrentibus in diversa terris sq.*

Procurrentibus in diversa terris. Boxhornius coniecerat: *procurrentibus inter se terris*. Gronovius contra monet: „a Britannia procurrunt terrae in diversam, hoc est, adversam Britanniam. Frequens veteribus *diversum* pro adverso ponere." Multa sine dubio exempla reperiuntur, in quibus *diversum* et *adversum* non valde differunt, et interdum eodem redeunt, ut alterum pro altero dici possit. Talia sunt, quae congessere Drakenb. ad Sil. Ital. I. 264. Burm. ad Propert. I. III. 31. His multa addi possent. Ipse Tacit. Agric. 23. *Clota et Bodotria*, *diversi maris aestibus per immensum revectae*, *anguste terrarum spatio dirimuntur*. Maris diversi, hinc Oceani, inde Atlantici, quae maria ab opposita sibi parte Clotam et Bodotriam revehunt, sunt *diversa*, hic quoque *adversa*. Sed hoc non valet in omnibus exemplis. Quod *adversum* est, est semper *diversum*, quod *diversum* non semper *adversum*. Quando

lam occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasione; sermo haud multum diversus; in deposcendis periculis eadem audacia, et, ubi advenere, in

v. c. Tacit. Annal. III. 2. scribit: *ii, quorum diversa oppida, tamen obvii, dolorem testabantur*, cogitat oppida in diversa parte sita, alia, quam quae iussu Caesaris dolorem testari debebant. In eo esse poterat nullum oppidum, oppidis, testari iussis, adversum. Ergo Ernest. imprudens comparat cum Annal. II. 60. *Graeciam repetens diversum ad mare terramque Libyam deiectus*, quae ibi recte interpretatur: *diversum mare*, quod esset in contraria plaga ei, qua esset, quod petebat. Britannia et Gallia, mari separatae, procurrunt ad mare, sunt terrae *diversae*, ex diversa parte procurrunt, *ex diverso* fere *coeunt*, ut est apud P. Melam I. 1. *Mare, longe lateque diffusum abigit vaste cedentia litora, iisdemque ex diverso prope coeuntibus adeo in arctum agitur, ut minus mille passibus pateat.* Sed *procurrunt* in *diversa*, est, in diversam partem; in eo fit motus, ut altera terra procurrat in dextram, altera in sinistram, quo se invicem praetereant, et vitent. Frontin. Strateg. I. 5. *Avocatus in diversum hostis.* v. Oudend. Valer. Flaccus IV. 387. *Quo diversus abis?* Quare multo saltem facilius esset in Tacito legere: *Procurrentibus in adversa terris.* Britannia et Gallia ex diverso sibi occurrunt. Valer. Flaccus VIII. 195. *ignarus fixas iam numine ripas Stare neque adversis ultra concurrere saxis.* Symplegades non amplius concurrunt ex diverso in adversum. Ipsa verba *adversus* et *diversus* in Mss. plerumque confunduntur. v. Cort. ad Sallust. B. Iug. 31.

Superstitionum persuasione. Ita legitur in Vaticanis et Put. Similitudo sacrorum, cum in aliis, tum praesertim in exemplo cernitur, a quo omnes fere aliae nationes adhorrent. Abhorruissent quoque Britanni, nisi a Gallis didicissent. Mos victimas humanas immolandi est terribilis, sed eum sequuntur *persuasione superstitionum*, quae sunt multae, sed nulla saevior, quam haec superstitio, haec religio, quae iis persuasit, ut credant, se rem facere Deis gratam, hominibus immolandis. Eodem sensu Lucretius, narrato Iphigeniae sacrificio, exclamat: *Tantum religio potuit suadere malorum!* Tantum malorum nascitur persuasione superstitionum! *Suadere, persuadere, πείθειν* ut fiat *πίστις*, in N. T., nota sunt in religione. Caesar B. G. V. 14. *Druides imprimis hoc volunt persuadere non interire animas.* Horat. Satir. I. 5. *Dum flamma sine tura liquescere limine sacro, Persuadere cupit credas Iudaeus Apella.* Ut legendum puto pro *Credat Iudaeus Apella.* Apella Iudaeus, persuasione superstitionum, credebat tura liquescere sine flamma. Hoc ut crederet sua illi religio, superstitio persuaserat, et tibi, ut credas, persuadere cupit. Wexius et Kritzius in Tacito ediderunt ex coniectura viri docti apud Walchium, *superstitionum persuasiones*, ut oratio Taciti ita per asyndeta efferretur: *sacra, persuasiones, sermo* sq. Sic, puto, *superstitiones* plus a *sacris* discernuntur, quam sententia patitur. Tum fortasse melius erat: *eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasionem.* Talis appositio coniungit, quod separari non debet. *Persuasionem* scribitur *persuasionē.* Asyndeton Feilitzschio durum videtur. »Ablativus *persuasione*, dicit, non pertinet

detrectandis eadem formido. Plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. Quod Britannorum olim victis evenit; ceteri manent, quales Galli fuerunt.

XII. In pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur; honestior auriga, clientes propugnant. Olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur, nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis

ad *deprehendas*, sed ad rem significatam. *Superstitionum persuasio* in caussa fuit, ut sacra Gallorum in Britannia *essent*, non *ut* deprehenderentur." Quid autem dicendum de argumento, quo Tacitus utitur, Gallos occupasse vicinam insulam? Eos occupasse, propterea quoque illi verosimile videtur, quia Britanni habent eadem sacra quae Galli, eandem superstitionum persuasionem. In commentariis Caesaris de B. G. VI. 15, 14. legimus Druidas apud Gallos rebus divinis praeesse, sacrificia publica ac privata procurare, religiones interpretari, pro victimis homines immolari, Gallos administris ad ea sacrificia uti Druidibus, horum disciplinam in Britannia repertam, atque inde in Galliam existimari translatam. Si igitur Caesar quaesivisset, utri indigenae, utri advecti, plane contrarium Tacito argumentum attulisset. Non quaesivit, sed simpliciter, quasi compertum, affirmat B. G. VI. 12. *Britanniae pars interior ab iis incolitur, quos natos in insula, memoria proditum est. Maritima pars ab iis, qui, praedae ac belli inferendi caussa, ex Belgis transierunt.* Potuitne Tacitus ista ex commentariis sic silentio praeterire, an non vidit? Et quid valet totum argumentum? Sacra Gallorum, sermo, audacia, formido, sunt similia Britannis. Ergo credibile est Gallos occupasse insulam. Non plus valet quam si dicas: ergo credibile est Britannos vicinam Galliam occupasse. Fortasse *in universum aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est* sunt glossatoris. Sententia est: Quaestio, sintne Britanni indigenae an advecti, nititur argumentis ex similitudine corporum desumptis. Caledonii esse videntur origine Germanica, Silures Ibera. Proximi Gallis, his quoque similes sunt. Quae caussa similitudinis, sive sit vis durans originis, sive terrarum vicinitas et positio coeli, dicere haud ausim. Interea similitudo est magna, et, praeterquam in habitu corporum, cernitur quoque in religione, lingua, audacia, formidine.

In detrectandis eadem formido. In Vaticano *Δ ea formido*. Magis consuetudinem Taciti referret: vel *ubi advenere, in detrectandis eadem formido*, vel *et, ubi advenere, in detrectandis formido*.

Quales Galli fuerunt. Ante amissam virtutem pariter ac libertatem. Kritzius: "quales tum fuerunt, quum recentes ex Gallia in Britanniam venerunt. Nam universa disputatio eo spectat, ut et meridionalis Britanniae incolas Gallos fuisse doceatur." Inge-

utilius quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusque civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus; ita singuli pugnant, universi vincuntur. Coe-

niosius, puto, quam verius. Si Galli occuparunt illam Britanniae partem, hoc multis ante saeculis accidit. Tacitus de isto tempore hic loqui non potuit. Et in tota disputatione de origine Britannorum nihil ita affirmat, ut nunc dicturus fuisset, quales incolae primo adventu ex Gallia fuerint.

Factionibus et studiis trahuntur. Principes faciunt, quod olim reges faciebant. Mela III. 6. *Caussas et bella contrahunt, ac se frequenter invicem infestant, maxime imperitandi cupidine studioque ea prolatandi, quae possident.* Ibi *caussae* sunt factiones, ut in noto versu Lucani: *Victrix caussa Deis placuit, sed victa Catoni.* Iam alii aliis principibus favent: *Scinditur incertum studia in contraria vulgus.* Britannos adeo sua quosque studia trahunt.

Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius. Formulam *pro nobis utilius* neque unquam intellexi, neque ullo simili exemplo commendatam vidi. Latinum est vel *pro nobis* vel *nobis utilius.* Tacitus scribere potuisset: *nec aliud nobis utilius.* Scripsisse tamen coniicio: *nec aliud adversus validissimas gentes porro nobis utilius, quam quod* sq. *Olim* regibus parebant, *nunc* per principes factionibus et studiis trahuntur, *porro* in posterum nihil nobis erit utilius. Liv. X. 8. *Imperium aeque adhuc prosperum plebeium atque patricium fuit porroque erit.* XL. 36. *Divinare, quid in animo Celtiberi haberent, aut porro habituri essent.* Romani probe noverant illud *divide et impera.* Haec una erat ex caussis primariis suae magnitudinis. Tacitus saepe utilitatem praecepti adversus barbaras gentes laudat. Ita in Germ. 33, optat: *Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando, urgentibus imperii fatis, nihil iam praestare fortuna maius potest, quam hostium discordiam.* Nec prudentiores barbaros suum vitium latebat. Vercingetorix apud Caesar. B. G. VIII. 29. *Quae ab reliquis Gallis civitates dissentirent, has sua diligentia adiuncturum, atque unum consilium totius Galliae effecturum, cuius consensu ne orbis quidem terrarum posset obsistere.* Wexius putat, unam rationem vulgatae scripturae defendendae hanc fore si explices: nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis (ὄν) utilius est, quam quod sq. duram tamen esse et parum commodam istam verborum constructionem fatetur, ac vereri ne *utilius* a glossatore additum sit. Equidem dubito an comparativus hic recte desideraretur. Tum, credo scribendum erat: *nec aliud magis pro nobis, quam quod* sq. Sententia sine comparativo esset: nihil est, in quo superiores sumus hostibus, nihil nos adversus hostes iuvat, quam ipsorum dissensus. In aliis rebus superamur. Parum adeo valerent disciplina militaris, virtus, experimenta castrorum, belli peritia, usus.

Ad propulsandum commune periculum. Ego *commune* delendum puto. Ne dicam ingratum, quia praecessit *in commune;* hic sententiae repugnat. Non consulunt in commune, nempe gentes totius Britanniae, validiores saltem. Hic autem de *duabus tribusque* civitatibus agitur. Recte in cap. 29. *Britanni, nihil fracti pugnae prioris eventu, et ultionem aut servitium exspectantes,*

lum crebris imbribus ac nebulis foedum, asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exsurgere sed transire affirmant. Scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque coe-

tandemque docti, commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. Quod tunc erant docti, hoc nunc nondum didicerant.

Ad propulsandum commune periculum conventus. Lipsius coniecerat *consensus.* Deinde omisit. Equidem *consensus* praeferam. Tacitus loquitur de omnibus gentibus Britanniae. Metus praesertim a validissimis, si in commune consulerent, in concilium commune coeuntes de periculo communi propulsando consentirent. Sed non coeunt, non consulunt. Nullus est conventus. Quin raro duae tresque gentes consentiunt. Iste *consensus* non fit in *conventu*, sed per *legationes*, ut in cap. 29. *Legationibus ac foederibus omnium civitatum vires exciverant.* Simile quid in Livio IV. 31. *Veientes, re secunda elati, missis circum Etruriae populos legatis, iactando tres duces ab se uno proelio fusos, quum tamen nullam publici consilii societatem movissent, voluntarios undique ad spem praedae adsciverunt.* Ernestus quoque *consensum* laudat. Alii interpretantur *conventum* esse *consensum*, quod ita inter eos convenisset, ut propulsarent. Vox certe ambigua. Ergo Kritzius putat fortasse significari utrumque, eos et in unum *convenire* et *consentire.*

Ita singuli pugnant, universi vincuntur. In *singuli* cogitantur *Britanni.* Etiamsi adderetur *ita Britanni singuli pugnant*, genus masculinum me hic offenderet. *Nationes, gentes, civitates* antecedunt. Cur Tacitus non scripsisset *singulae* et *universae? ita singulae civitates pugnant, universae vincuntur.* Iustinus VIII. 1. *Graeciae civitates, dum imperare singulae cupiunt, imperium omnes perdiderunt.* Ubi Berneggerus similia dicta comparavit, Taciti quoque recordatus. Ex Iustino Iornandes de Reb. Goth. *Ut solent animi iuvenum ambitu potentiae concitari, inter successores Attilae de regno orta contentio est, et dum inconsulti imperare cupiunt cuncti, omnes simul imperium perdidere.*

Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram. Quando scriptores de spatio dierum et noctium in Britannia et insulis adiectis loquuntur, addunt tempus anni, quo illud longius vel brevius sit quam in Italia. Caesar B. G. V. 13. nonnullos narrasse dicit, in quibusdam insulis dies continuos triginta *sub brumam esse mortem.* Pomp. Mela de Thyle III. 6. *Breves utique noctes sunt, sed per hiemem, sicuti alibi, obscurae, aestate lucidae — per solstitium vero nullae.* Plin. H. N. II. 75. *Horae aequinoctiales — ubi aestate lucidae noctes, solstitii diebus.* Beda Hist. A. I. 1. *Insula lucidas aestate noctes habet:* caussis explicatis, addit: unde etiam *plurimae longitudinis habet dies aestate.* Eumen. Panegyr. Const. Aug. 9. alii. Fortasse et Tacitus scripsit: *asperitas frigorum abest. Aestate dierum spatia ul-*

lum et sidera nox cadit. Solum, praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fecundum; tarde mitescunt, cito proveniunt, eademque utrius-

tra nostri orbis mensuram. Propter *abest aestate*, sono conveniente, facile omitti potuit *aestate.*

Extrema Britanniae parte. In altero Vatic. *parte Britanniae.* Wexius ex discrepantia suspicatur *Britanniae* esse interpretamentum. Ego, vel sine discrepantia ista. Et iam plus semel in aliis locis eiiciendum putavi.

Et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fecundum. Quid sententia poscat, tam facile dictu est, quam difficile eam ex istis verbis constituere. Ergo omnes interpretes multam operam dederunt, ut invenirent. Tacitus primum loquitur de *arboribus.* Olea, vitis *et cetera* sunt et *ceterae arbores.* Additur *cetera* neutro genere, ut in loco haud multum dissimili apud Plin. Epist. V. 6. *Coelum est hieme frigidum et gelidum; myrtos, oleas, et quae alia assiduo tepore laetantur, aspernatur et respuit. Laurum tamen patitur, atque etiam nitidissimam profert.* Quis unquam sic loqui potuit: Solum Britanniae, praeter oleam vitemque et cetera, patiens est frumenti? Omnino aliquid dici oportebat, quod ad oleam vitem et cetera pertineret, et praeter ista in Britannia nasceretur. Vel sola vox *arborum* sufficiebat. Iam *oriri* plane supervacuum est. Multo elegantius *cetera calidioribus terris sueta.* Tacit. Hist. V. 14. Germanos vocat *fluminibus suetos,* et V. 6. *Lacus neque pisces aut suetas aquis volucres patitur.* Pro *oriri* Tacitus, credo, scripsisset *nasci*, quo verbo Virgilius semper utitur: *oriri* minus usitatum, quamquam non sine exemplo. Denique *solum patiens frugum, fecundum*, mire coniuncta. Schefferus *fecundum* delebat: „Frustra, inquit Ernestus: Britannia non modo accipit cultum, sed etiam copiosas fruges effert." Ita Tacitus aliquid addidisset, quale est in l. l. Plinii: *atque etiam fecundum.* In *patiens* cultus et labor sic fere cogitantur, ut statim appellari *fecundum* aegre possit. *Fecundum* autem propterea non deleverim, quia Britannia erat admodum *fecunda.* Ipse Tacitus in cap. 19 satis ostendit, se hoc non ignorare. Coniicio: *Solum, praeter oleam vitemque, cetera, calidioribus terris sueta, patitur; frugum fecundum.* Britannia non patitur oleam vitemque, suetas terris calidioribus, Italiae, Hispaniae, Galliae meridionali; ceteras arbores iis regionibus suetas, poma, pira, cerasa, patitur. Cogitat tantum arbores, fructuum feraces, itaque adiungit frumentum. Caesar B. G. V. 11. in universum de arboribus loquitur, minus, ut videtur, de frugiferis. Et ista Tacito melius erant cognita. Caesar: *materia cuiusque generis, ut in Gallia est, praeter fagum atque abietem.* Wexius quoque *fecundum* delet, asyndeton *patiens frugum fecundum* non probat, scribendum ita fuisse, ut l. l. Plinii, *atque etiam fecundum*, vel *ac fecundum:* glossam fortasse hinc ortam, quod illius auctori *frugum patiens* dictio nimis poëtica videretur, vel potius, eum voluisse annotare fecunditatem Britanniae quam apud seriores scriptores laudatam invenimus. Kritzius: „Sensus idem est ac si dixisset: *solum impatiens oleae* etc. eaque caussa est, cur in sequentibus *patiens* primum locum obtineat.

Tarde mitescunt, cito proveniunt. Quod natura prius est, verbis quoque

que rei caussa, multus humor terrarum coelique. Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. Gignit et Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur; nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint, colligi. Ego facilius crediderim naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam.

XIII. Ipsi Britanni delectum ac tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt, si iniuriae absint; has aegre tolerant, iam domiti ut pareant, nondum ut serviant. Igitur

esse convenit. Mallem: *cito proveniunt, tarde mitescunt.* Idem ordo sequitur *humor terrarum coelique.* Ut ego, sic scribendum putabat amicus D. Burgerus. Lit. Doctor, Rector Gymnasii Amisfurtensis.

Eademque utriusque rei caussa, multus humor. Alii interpretantur: humore coeli tarde mitescunt; alii: utroque fit utrumque. Ego glossam esse puto. Tacitus breviter: *Cito proveniunt, tarde mitescunt. Caussa, multus humor terrarum coelique.* Tacitus saltem scripsisset: *eadem utriusque rei caussa*, vel *eadem caussa.* Sed *caussa* omnino sufficit: caussa, cur cito proveniant, tarde mitescant, est multus humor terrarum coelique. Quid attinebat explicare, quod quivis videret?

Margaritis deesse quam nobis avaritiam. Duo praestantissimi interpretes, alter: „Avaritia nostra non cessatura fuisset, quominus eandem rationem adhiberet, qua in rubro mari utuntur." Alter: „ardentem ea habendi cupiditatem, ut, si bona essent, nulla difficultas obstaret, quominus illa colligeremus." Idem *deesse* per Zeugma referri indicat ad *avaritiam*, ita ut ad hanc vocem cogitetur *abesse.* Mihi verosimillimum videtur, Glossatorem postrema illa *quam nobis avaritiam* in margine adscripsisse, ut comparativum *facilius* explicaret. Oratio optime procedit: *quidam artem abesse legentibus arbitrantur. — Ego facilius crediderim naturam margaritis deesse.* Scilicet *quam nobis artem abesse.*

Iniuncta imperii munera. Usitatum in rebus huiusmodi verbum *iniungere*: conf. Oudend. ad Caesar. B. G. VIII 49. et Gronov. ad Liv. XXXIII. 3. hoc quoque Taciti exemplo usus. Idem reddendum putat Livio XL. 51. *Opera ex pecunia attributa divisaque inter se* (censores) *haec confecerunt. Lepidus molem ad Tarracinam; ingratum opus, quod praedia habebat ibi, privatamque publicae rei impensam insuerat.* Legit *iniunxerat.* Alii alia. Mihi in mentem venerat: *privatamque publicae impensam immiscuerat.* Quia in agro isto habebat praedia, partem impensae tolerare debuit, ac fortasse toleravit. Sed non distinxit, quantum privatim erogasset. Unam summam pecuniae posuit, privatam publicae immiscuit. Ita suae utilitati magis consuluisse videbatur, quam dignum erat censore.

Iam domiti ut pareant, nondum ut serviant. Utile praeceptum successoribus Agricolae, ut iniuriis abstinerent et statum praesentem tuerentur, ac confirmarent. Ita optime reipublicae suaeque laudi consulerent. Atque hoc

primus omniūm Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris non tradidisse. Mox bella civilia, et in rem publicam versa principum arma, ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. Consilium id divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum.

eo facilius efficient, quo magis Agricola successori suo provinciam quietam tutamque tradidit. Postquam Tacitus dixerat quatenus Britanni parerent, quod acceptum erat referendum Agricolae, narrat, quid alii ante eum tentaverint, ut eos imperio Romano adiicerent.

Igitur primus omnium. Tacitus cap. 9 narraverat Agricolam praepositum esse Britanniae. Tum ab argumento, quod est *vita et mores* Agricolae, digreditur, et refert situm et populos insulae, usque ad cap. 13. Neque sic tamen ad Agricolam redit, sed historiam rerum a Romanis ante eum in insula gestarum, annectit. Argumentum adeo, in fine capitis 9 relictum, initio demum capitis 18 repetit. Iam non intelligo, quid *igitur* hic significet; quid praecedat quo referatur, quam orationem abruptam instauret. Si D. Iulius Britannos *iniuriis affecisset*, interpretari fortasse possemus: *igitur* expeditio Caesaris frustra fuit; igitur primus Britanniam ingressus, quamquam litore potitus sit, potest videri ostendisse, non tradidisse. Aliquam Britannis illatam iniuriam suspicari liceret ex D. Cassio XL. 1. Caesar post primam expeditionem iterum in Britanniam venit, *πρόφασιν ποιησάμενος ὅτι μὴ πάντας τοὺς ὁμήρους, οὓς ὑπέσχοντο, ἐπεπόμφεσαν. ἔργῳ δὲ δεινῶς τῆς νήσου ἐφιέμενος, ὥστε εἰ μὴ καὶ τοῦτο ἦν πάντως ἂν ἄλλην τινὰ σκῆψιν εὑρεῖν.* Hinc aliquid, non satis, efficeretur, quod *igitur* explicaret. Olim coniiciebam: *Legitur primus omnium*, ut cap. 29, *locutus fertur.* Nunc puto *igitur* errore librarii loco alieno esse positum, et transferendum, ubi meliorem occupet. Hic quidem sublato, cursus orationis plane expeditus est.

Consilium id divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum. Legam: *Consilium id divus Augustus vocabat, igitur Tiberius praeceptum.* Augustus in *Rationario imperii* sua manu scripserat quoque *consilium coercendi intra terminos imperii*, ut narrat Tacitus Annal. I. 11. Iam Tiberius consilia et iussa Augusti sancte sibi observanda esse putabat. Tacitus istam religionem bis attigit, ut irridere et indignari videatur. Annal. I. 77. *Valuit tamen intercessio, quia divus Augustus immunes verberum histriones quondam responderat, neque fas Tiberio, infringere dicta eius:* et IV. 37. facit eum dicentem: *qui omnia facta dictaque eius vice legis observem, placitum iam exemplum promptius secutus sum.* Ergo exemplum Augusti secutus fuisset, etiamsi minus placuisset. Cur Tiberius Augustum tam anxie faceret *κανόνα τῆς διοικήσεως καὶ τῶν προσταγμάτων*, ut Strabo dicit, difficile explicatu in ingenio tam falso. Tacitus et h. l. acerbe nec sine odio: igitur Tiberius praeceptum vocabat, quod Augustus consilium. Satis quippe erat, si Augustus modo aliquid fecisset vel dixisset; omne illud successor sibi legem fecerat.

Agitasse Gaium Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio mobili poenitentia, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor operis, transvectis legionibus auxiliisque et assumpto in partem rerum Vespasiano, quod initium venturae mox fortunae

De intranda Britannia. Divus Iulius primus Britanniam ingressus est. Augustus et Tiberius omiserunt. Caligula agitavit de *intranda.* Hic, puto, desideratur aliquid, v. c. *denuo.* Exciditne post *intranda denuo?* Cogitavi et de *iteranda Britannia*, ut apud Horat. Carm. I. 7. *Cras ingens iterabimus aequor.* Fortasse tamen quaeri potest, an recte quis iteret rem, quae ab altero iam prius suscepta sit.

Ni velox ingenio mobili poenitentia. Ita Wexius ex Cod. Vat. *Γ.* locum sanavit, mutato *poenitentiae* in *poenitentia.* Vulgo edebatur *ni velox ingenio, mobilis poenitentiae.* Ego, ante quam Wexium videram, sic disputabam: dubito an *velox ingenio* vel *ingenii* Latine dicatur, qui aliquid subito et cupide aggredi solet, cuius eum brevi post poenitet. Ingenii *velocitas*, ut *celeritas*, est illius, qui rem cito perspicit, et intelligitur ex contraria ingenii *tarditate.* In exemplis a Burm. ad Phaedri fab. III. 3. allatis, huc pertinet illud Quintil. Inst. Orat. VI. 4. qui coniungit *ingenium velox ac mobile, animum praesentem et acrem.* Ibi *mobilis* non multum differt a *veloci*; in Tacito propter additam *poenitentiam* alia significatio requiritur, quae et sententiae loci conveniat. Fortasse legendum: *ni velox in ingenio mobili poenitentia et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent.* Caligula habebat ingenium mobile, quod saepe et subito nunc huc nunc illuc impellebatur, eratque, ut fit, in illa mobilitate velox, celer poenitentia. Haec et conatus adversus Germaniam fecerunt, ut consilium intrandae Britanniae subito captum, subito abiecerit. Wexius *velocitatem* et *celeritatem ingenii* uberius, quam feceram, explicavit. Kritzius edidit: *ni velox ingenio mobili poenitentiae*, i. e. ni velox ad poenitentiam propter ingenium mobile. Melius, puto, *poenitentia et conatus* sunt frustra quam *Caligula et conatus.*

Auctor operis. Albinov. Eleg. I. 236. *Victoria parta est. Auctor abit operis, sed tamen exstat opus.* Saepe *opus* de re difficili intelligendum: v. Gronov. et Graev. ad Praefat. Iustini. Sed non tacendum in Vaticanis legi *auctoritate operis.* Unde olim divinabam: *auctor exstitit.* Addo nunc alteram coniecturam *auctor tanti operis.* Ita difficultas operis augetur; operis tanti quidem, ut D. Iulius, bis susceptum, perficere non potuerit, Augustus et Tiberius non aggredi tutius putaverint, Caligula de suscipiendo tantum cogitaverit, Claudius inceperit, Vespasianus continuaverit. Hoc initium fuit venturae mox fortunae. Agricola enim, a Domitiano missus, Britanniam domuit, pacatamque et tutam provinciam successori tradidit. Auctor tanti operis Claudius, Domitianus absolvit, sed per Agricolam. Tacitus Domitianum non nominat, eum, qui auctori tantae fortunae hanc gratiam retulit, ut veneno interceperit. Wexius annotavit Bezzenbergerum coniecisse *tanti*, Halmium *tandem*, se et Doederlinum *iterati operis:* itaque edidit, edidit quoque Kritzius.

fuit. Domitae gentes, capti reges, et monstratus fatis Vespasianus.

XIV. Consularium primus Aulus Plantius praepositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius, redactataque paulatim in formam provinciae proxima pars Britanniae.

Quod initium venturae mox fortunae fuit. Verba non impediebant, quominus hoc ad fortunam Vespasiani, principatum, referretur, sicuti Valer. Maxim. I. VI. 11. de Sulla: *Quae victoria futurae eius amplissimae potentiae gradus et fundamentum exstitit.* Sed sententia obstat, quia mox sequitur: *monstratus fatis Vespasianus.* Igitur *fortuna ventura* est rerum in Britannia deinde prospere gestarum, initium insulae ab Agricola tandem perdomitae. Ita et Wexius et Kritzius interpretantur.

Monstratus fatis Vespasianus. Hoc est *a fatis* monstratus. Fata hic primum monstraverunt Vespasianum, quem rebus maioribus destinaverant. Si expeditio Britannica non accidisset, fata aliam viam monstrandi Vespasiani invenissent. Hic per Claudium fatis commendari non poterat. Ernestus putabat in eo acumen esse, ut illa expeditio primus gradus futurae felicitatis diceretur, et Vespasianus quasi commendatus esset fatis et fortunae, ut qui se iam tum dignum imperatorio fastigio praebuisset. Sed hoc plane repugnat sententiae veterum de fato. *Monstratus fatis* pro *a fatis* Tacito usitatum. Sic in Agric 2. *Cum Rustico Paetus, Senecioni Helvidius essent laudati.* Atque hoc saepe caussam dedit errori et diversae explicationi. conf. Lips. ad Annal. II. 50. Oudend. ad Sueton. Caesar 10. Vespasiano res in Britannia gestas ad futuram felicitatem profuisse, narrat etiam Dio Cass. LXV. 8. Haec ita scripseram in edit. mea a. 1827. Eodem anno Hertelius: „Iam tum significatum est a fatis (poetice pro *a fato*, sic interdum, ut Liv. 1, 7.) qualis Vespasianus aliquando futurus esset. cf. Histor. I. 10. *Occulta lege fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque eius imperium, post fortunam credidimus. Monstratus* eodem sensu, quo Annal. XII 63. *Ea ambage Chalcedonii monstrabantur,* i. e. significabantur." Ita ego et Hertelius fere consentiebamus. Et vera est huiusmodi interpretatio, praesertim in caussa Vespasiani. Ex aliis locis Taciti et Suetonio apparet, vulgo ita creditum fuisse, Vespasiano omnia magna a fato destinari. Hinc et Ausonius in Monost. de XII Caesaribus: *His decimus, fatoque accitus Vespasianus.* Ita Vespasianus Annal. XVI. 5, *narratur imminentem perniciem maiore fato effugisse*, ubi melius Ernestus: „quia maioribus rebus destinatus erat, nec posset adeo a Nerone perimi." Atque usus iste dativi, vel omissae praepositionis, plerumque in fatis cernitur. Virgil. Aen. II. 257. *Fatisque Deum defensus iniquis.* XIII 12. *Fatis regem se posci.* Liv. V. 15. *Sed propior interpres fatis oblatus senior quidam Veiens, qui inter cavillantes stationibus ac custodiis milites Romanos Etruscosque, vaticinantis in modum cecinit.* Adeo *fata* ad id, quod semel decreverunt, semper *viam inveniunt*, ut est apud Virgil. Aen. III. 395. Similis sententia est in Taciti Annal. III. 18. *Quippe*

Addita insuper veteranorum colonia. Quaedam civitates Cogidumno regi donatae (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit), vetere ac iam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges. Mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum

fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio, quam quem principem fortuna in occulto tenebat. Hist. II. 1. *Struebat iam fortuna in diversa parte terrarum, initia caussasque imperio.* II. 69. *Principium interno simul externoque bello parantibus fatis.* Miror nonnullos poëtas interdum homines induxisse, tamquam viam fatis monstrantes, quasi ipsa aliter non invenissent. Ita Valer. Flaccus VI. 204. *Equis pater armento quos dives ab omni Nutrierat, fatisque viam monstrarat iniquis.* Equi isti, forma praestantes, caussa fuere, ut eorum domini in proelio ab hoste occiderentur. Claudian. Eutrop. I. 138. *Est ubi despectus nimius iuvat. Undique pulso Per cunctas licuit fraudes impune vagari, Et fatis aperire viam. Fata* destinaverant Eutropio consulatum. In eo tamen *aperire* paullo melius quam *monstrare.*

Addita insuper veteranorum colonia. Non simpliciter adiecta, sed *addita*, tamquam custode *apposita*, quae Britanniam observaret. Annotavi nonnulla de utroque verbo ad Horat. Carm. III. IV. Neque hoc Britannos latebat. Ergo, cap. 16, ipsam coloniam invasere, *ut sedem servitutis.*

Ut haberet instrumenta servitutis et reges. In Mss. Vatic. *ut, vetere ac iam pridem recepta populi Romani consuetudine, haberet instrumenta* sq. Rhenanus *ut* transposuit: secuti Wexius et Kritzius ediderunt, quos ego rursus secutus sum. Sed invenisse mihi videor, exigua mutatione huius *ut* in *ita, haberet* in *habentur*, cursum orationis multo elegantiorem Tacitoque magis proprium. Quae mihi in vulgatis displicent, haec sunt: verba *is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit* nunc parum significant, et interponuntur tamquam Cogidumnus modo in transitu ob fidem laudetur, atque alii, licet imperio maiore aucti, minus fidi manserint. Non est vinculum, quo ista cum sequentibus connectantur. Si dicis *recepta populi Romani consuetudine*, ea consuetudo nonnihil refertur ad haec ipsa tempora, quibus *populi* sic ratio haberi non potest; *vetus ac iam pridem recepta consuetudo* non coniunguntur, quomodo *prisca ac vetus, vetus et antiqua, ἀρχαῖον καὶ παλαιὸν*, de quo Ruhnk. ad Vell. Paterc. I. 16. Vetus enim consuetudo diu exstitit ante quam populus Romanus recepit, et *vetus* plus est quam *pridem*, licet contra sit in Hist. II. 38. *vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido*, quod caput totum manu scholastica ex imitatione Sallustiana Tacito affictum est. Quare cuncta in nostro loco melius sic legentur. *Quaedam civitates regi Cogidumno donatae. Is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit. Ita vetere ac iam pridem recepta populo Romano consuetudine habentur instrumenta servitutis et reges.* Principes et populi talia beneficia a potentiore, etiam si intelligant suam se libertatem amittere accipientes, tamen accipiunt. Tanta vis est propriae utilitatis. Hoc sciunt po-

castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. Didium Veranius excepit, isque intra annum exstinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit subactis nationibus firmatisque praesidiis; quorum fiducia Monam insulam, ut vires rebellibus ministrantem, aggressus, terga occasioni patefecit.

tentiores. Ergo habent reges instrumenta, quibus et ipsos et alias simul gentes in servitute teneant. *Habent* propter suam utilitatem, ut *pecora*, qua significatione v. c. apud Virg. Georg. I. 3. adhibetur *qui cultus habendo sit pecori*. Non multum differret illud in Taciti Hist. III. 38. si glossa addita tolleretur: *Reddendam* (Blaeso) *pro intempestiva laetitia moestam et funebrem noctem, qua sciat et sentiat, vivere Vitellium et imperare, et, si quid fato accidat, filium habere*. Longe acutius *vivere Vitellium, et imperare, et filium habere*. Vitellius habet filium successorem, quo spes principatus adimatur Blaeso, qui principatum, interfecto Vitellio, petere accusabatur. Neque acutius tantum, sed et verius. In tali formula, *si quid accidat*, non additur *fato*. Mors, seu natura seu vi accidat, semper accidit *fato*. Nec pulchre: *si quid illi accidat, habet filium*. Cui quid acciderit, *mortuus* est. Mortuus non habet filium. Cogitari hoc potest, non dici. Dicendum erat *si quid accidat, relinquere filium*. Ceterum *ut* et *ita* centies in Mss. confunduntur: Tacitus autem sententiam, qua priora confirmat, saepe ab *ita* orditur: Agric. cap. 8. *Ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando, extra invidiam nec extra gloriam erat*.

Fama aucti officii quaereretur. Ut Caesar et omnes dicerent, Didium Gallum in administrando munere officium implevisse, et plus fecisse, quam iure postulari posset. *Augere officium*, ut cap. 41. *Otium penitus auxit*. Sallustius pro eo *intendere*, B. Iug. 75. *Praeterea commeatus spe amplior: quia Numidae, sicuti plerique in nova deditione, officia intenderant*. Et in re nova vulgo maius studium ostenditur. Initia omnium rerum sunt *acriora*, Tacit. Annal. VI. 17. Fortasse hinc explicanda Tacit. Annal. VI. 10. *Sed praecipua ex eo gloria, quod praefectus urbis recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem, mire temperavit*. Praefectus *recens*, in initio muneris exercendi non erat acrior, potestatem non auxit, non intendit, ut recentes in officio solent, sed temperavit. Alii aliis modis interpretantur; Ernestus coniecerat *praefectus urbis creatus*, quod tamen esse languidum ipse sentiebat. Si quid mutandum, mutarem: *quod praefectus urbis, gerens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem, mire temperavit*. Praefectura urbis erat potestas, quae per multos annos in eodem viro continuabatur.

Firmatisque praesidiis. Locus *firmatur praesidiis*, et *praesidia firmantur in loco*. Utrumque est Latinum: conf. Gronov. ad Liv. XXI. 57 et XXXII. 40. Cort. ad Sallust. B. Iug. 23. Hic ego praeferam cogitari *firmata praesidia*. Minus grati sunt duo ablativi, nisi adiective et substantive coniuncti. Et *firmata praesidia* exquisitius videtur, magisque ex more Taciti. Annal. XIII. 14. *Nec id nobis virium erat, quod firmando et ca-*

XV. Namque absentia legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere. Nihil profici patientia, nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur. Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret. Aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam; alterius manum, centuriones, alterius, servos, vim et contumelias

pessendo bello divideretur. Conf. Dronk. ad Agric. 35.

Vires rebellibus ministrantem. Mss. *vires:* Rhenanus male correxerat *viros.* In *viribus* cogitantur et *viri*, in viris non semper *vires.* Et, si *viri* ponuntur pro *militibus*, nisi significent *viros* vere viros, *fortes*, plerumque aliquid adiungitur, ut in Virgiliano *arma virumque*, unde et apud Ammian. Marcell. XVIII. p. 129. legendum: *arma virosque parabat et commeatus*, pro *arma viresque.* Ita saepe Liv. ut VIII 25. *Arma virosque ad bella pollicentes.* Verbum *ministrare* me non offendit, ut eruditum interpretem offendit. Virgil. I Aen. 150· *furor arma ministrat.* Val. Flaccus IV, 8. *sic arma, viros sociosque ministrat.*

Nunc binos imponi. Livius III. 9. *Quippe duos pro uno domino acceptos, immoderata, infinita potestate.*

E quibus legatus. Ernestus verum putat *e quibus legatum in sanguinem, procuratorem in bona saevire:* nam non eo consilio imponebantur, *ut saevirent;* et nominativi postularent *ut saeviat.* Idem mihi videtur. Librarii saepe orationem indirectam faciebant directam, ubi ea cum pronomine relativo erat coniuncta. Liv. XXII. 34. *Cui non apparere?* Hoc mutarant in *appareret*, et *appareat.* Gronovius infinitivum inter omnes ceteros infinitivos restituit ex melioribus Mss. Et sic Livius in multis huiusmodi orationibus, et Tacitus ipse. Nusquam autem in eo invenias indirectum directo sic abruptum. Britanni loquuntur de praesenti rerum statu, in quo versantur: nihil *profici*, binos *imponi*, vim *miscere.* Fac directa: nihil *proficimus*, bini *imponuntur*, vim *miscent;* tum ex *saevire* faciendum erat *saevit.*

Alterius manum, centuriones, alterius servos, vim. In Mss. *alterius manum centuriones, alterius servos vim.* In Ms. *Γ* praeterea *manum*, et in Puteol. *manus.* Ego hic edidi, quod iam olim conieceram. Sententia facillima. Legatus et procurator habent suas quisque manus, suos ministros et adiutores, qui mandata perficiunt. *Manus* legati sunt *centuriones*, *manus* procuratoris sunt *servi. Centuriones* et *servi* in re eadem coniunguntur Annal. XIV. 31. de Prasutago, Boadicae reginae marito. *Caesarem haeredem duasque filias scripserat, tali obsequio ratus regnumque et domum suam procul iniuria fore; quod contra vertit: adeo ut regnum per centuriones, domus per servos, velut capta, vastarentur. Manus*, ut in Ciceronis l. quem iam Gronovius comparavit, in Verr. II. 10. *Comites illi tui delecti manus erant tuae. Praefecti, scribae, medici, manus erant tuae.* Adde Ovid. Metam. V. 365. *Arma, manusque meae, mea, nate, potentia.* Auctor Elegiae de Maece-

miscere. Nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. In proelio fortiorem esse, qui spoliet; nunc ab ignavis plerumque et inbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi

nate in Anthol. Burm. T. I. p. 254. *Regis eras genus Etrusci. Tu Caesaris olim Dextera.* ubi plura Burm. Sic apud Claudian. in Rufin. II. 261. *Spernisque tuas, dux optime dextras?* Valer. Maxim. VII. 5. *Divi Iulii exercitus, id est, invicti ducis invicta dextera.* Lepide Catullus Epigr. 45. *Porci et Socration, duae sinistrae Pisonis.* Fures scilicet utuntur sinistra, milites dextra. Legatus utitur dextra centurionum, procurator, ipse saepe libertus, utitur sinistra servorum. Britanni aeque dextra aeque sinistra spoliantur. Est et alia in re tali formula, v. c. *alterum manibus centurionum, alterum servorum vim et contumelias miscere.* Livius I. 41. *Alienis manibus pessimum facinus fecere,* i. e. filii Anci Marcii Tarquinium Priscum per subornatos percussores interfecerunt. Cicero in Verr. IV. 15. *Ut iste in furando manibus suis, oculis illorum uteretur.* Atque hic centuriones vituperantur, tamquam manus legati. Sine legato plerumque erant peiores. Ita loquitur Civilis Histor. IV. 14. *Neque enim societatem, ut olim, sed tamquam mancipia habere: quando legatum, gravi quidem comitatu et superbo cum imperio, venire? tradi se praefectis et centurionibus, quos ubi spoliis et sanguine expleverint, mutari.* Ubi legendum mihi videtur: *quando legatum, gravi quidem comitatu et superbo, sed cum imperio venire?* Non amplius tractamur ut socii, sed ut servi. Sumus provincia. Utinam cito veniat legatus! Gravis quidem ille et superbus cum simili comitatu, sed tamen habet imperium. Illi saltem parent centuriones et praefecti, qui nunc singuli nos vexant et spoliant. Odofredus Müllerus in censura primae edit. Dronkianae locum in Agricola eodem modo, quo ego, emendaverat. Laetor consensu. Wexius non assentitur. „Quorsum tandem, ait, Tacitum hisce usum putemus ambagibus? Cur non simpliciter tum dixisset *alterius centuriones, alterius servos?*" Quia sic, puto, non ita, ut nunc, appareret, vim et contumelias misceri iussu legati et procuratoris, qui, ne ipsi possent accusari, manibus alienis utebantur. Addit Wexius: „neque ullo loco probari poterit, alicuius *manus* (werkzeuge, diener) dici *homines.*" Exempla, ni fallor, allata, probant. *Comites tui erant manus tuae* quid aliud significat, quam *tui adiutores, tui ministri?* Quid *fecere facinus alienis manibus*, aliud, quam *fecere per adiutores et ministros*, per *homines*, qui erant manus eorum, qui iusserunt? Sic Verres utebatur *oculis* aliorum, id est, hominibus, qui investigabant. Hi erant oculi *Verris*, ut qui olim in Persia pro rege videbant, ὀφθαλμοὶ, qui audiebant, ὦτα τοῦ βασιλέως appellabantur, homines, quorum opera in eo rex utebatur. Wexius edidit: *alterius manum, centuriones alterius vim et contumelias miscere:* manum interpretatur *cohortem accensorum*, quorum ministerio procurator utebatur. Kritzius edidit, *alterius manum, centurionem, alterius servos vim et contumelias miscere.*

Ab ignavis plerumque et inbellibus eripi domos. Sententia iubet *ignavos et inbelles* intelligi Romanos; alioquin Latinitas suadebat intelligendos Britannos. Nam pro vulgari *domos* mihi

delectus, tanquam mori tantum pro patria nescientibus. Quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? Sic Germanias excussisse iugum, et flumine, non oceano, defendi. Sibi patriam, coniuges, parentes, illis avaritiam et luxuriam caussas belli esse. Recessuros, ut divus

eripitur, dicebatur quoque *domus a me eripitur*. Terent. Adelph. III. II, 30. *Ab lenone ipsus eripuit palam.* Eunuch. IV. VI. 14. *Haec ea est, quam miles a me vi nunc ereptum venit.* Tacitus ambiguum vitare potuisset, v. c. *per ignavos et inbelles eripi.* Sed *domos eripi* parum vehemens nec sat elegans puto. Pulchrior et longe tristior imago in formula *domibus pelli, exturbari.* Ipse Tacit. Annal. XIV. 31. *In coloniam Camalodunum recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris.* Horat. Carm. II. 18. *Pellitur paternos In sinu ferens Deos Et uxor et vir sordidosque natos.* Similia quaedam ibi annotavi. Neque Heinsio vulgatum placebat; coniecit *diripi.* Quod verum puto. Praeterea locum sic distinguendum arbitror: *nunc ab ignavis plerumque et inbellibus diripi domos, abstrahi liberos. Iniungi delectus tamquam mori tantum pro patria nescientibus.* Ignavi et imbelles veterani ex colonia sibi quisque domos nostras diripiunt, filias et pueros abstrahunt. Hoc privatim. Publice iniunguntur delectus; nam sciunt nos fortiter pugnando posse mori, tantum non pro patria, sed imperio alieno. Tam lenti iniunctos delectus patimur. Wexius edidit: *eripi domos. Abstrahi* sq. quia Britanni illa a singulis perpessi sunt, delectus autem ab imperio Romano imponitur. Ceterum dubitat an Latine dicatur *eripere alicui domum*, quae res sit immobilis, nisi significet *exspoliare, evastare.*

Si sese Britanni numerent. Liv. V. 18. *Numerate saltem, quot ipsi sitis, quot adversarios habeatis.* Iustin. XI. 13. *Darius vix denis armatis singulos hostes, si divisio fieret, evenire dicebat.*

Sic Germanias excussisse iugum. Doctius, quam pro Britannis. Hi tantum noverant Germaniam inferiorem, non et superiorem. Neque superior defendebatur Rheno, sed inferior. Legamus *Germanos.* Sic cogitari possunt incolae Germaniae inferioris; at in *Germaniis* debent cogitari incolae utriusque partis.

Sibi patriam, coniuges, parentes, illis avaritiam. Formula solennis non omittit *liberos.* Coniicias fere ante *illis* excidisse. *Liberos* in Codd. scribitur *lib'os.*

Ut D. Iulius recessisset. Eadem de caussa, quae me paullo ante movebat, ut cum Ernesto putarem *saeviret* mutandum esse in *saevire*, h. l. scribendum iudico: *ut D. Iulium recessisse.* Usus iste infinitivi apud Graecos late patet, etiam post ἐπεὶ, ὡς, sim. Neque insolitum Latinis. Liv. IV. 51. *Iacere tamdiu irritas sanctiones quae de suis commodis ferrentur: quum interim de sanguine ac supplicio suo legem confestim exerceri, et tantam vim habere.* Conf. Gronov. *Iulium* ab hostibus Divum appellari, vix sibi persuadere poterat Engelius. Tacitus, puto, quum huiusmodi orationes fingit, non a veri similitudine discedere solet. Nomen Iulii Caesaris in Britannia erat celebratissimum. Memoria instaurabatur, Romanis iterum ingressis. Augustus dici amabat *Divi*

Iulius recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularentur. Neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent; plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. Iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent; iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare. Porro in eiusmodi consiliis periculosius esse deprehendi, quam audere.

filius. Hinc in numis ita nominatur: conf. interpretes ad Nepotis Attic. 19. Hinc illud, sensim usu receptum, videtur accepisse vim cognominis, tandem nominis, ut in *Divo* eximie cogitaretur Iulius Caesar. Britanni Romanos ita loquentes imitati sunt. Fortasse Tacitus et ipse contumeliam in *Divo* posuit, et fecit Britannos eo utentes, quasi dixissent: qui nunc in insulam nostram venerunt, hos expellemus, ut maiores nostri expulerunt Iulium Caesarem, illum, quem fecerunt Deum, et *Divum* appellant. Tacitus saepe verbis aliorum exprimit, quod ipse sentit. Ut ut est, facilius hic fero *Divum*, quam *Dictatorem* in Annal. XII. 34. ubi Caractacus de maioribus suis, qui *Dictatorem Caesarem pepulissent.* Fortasse ex litera D. librarii fecerunt *Dictatorem*, quum debuissent facere *Divum*.

Plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. In *impetu* est animi velocitas, vigor, fervor: in *constantia* virtus nullo terrore mota, patientia, perseverantia, quas *impetus* plerumque habet sibi oppositas. Liv. V. 6. *Nec impetu potius quam perseverantia bella gerat.* Iustin. XLI. 2. *Intolerandi forent, si, quantus his impetus esset, tanta et perseverantia esset.* Florus III. 3. *Donec invicta illa rabies et impetus, quem pro virtute barbari habent, consenesceret.* Tacit. German. 4. *Magna corpora et tantum ad impetum valida, laboris atque operum non eadem patientia.* Quid sit *constantia* et *constanter* pugnare, docuerunt interpretes ad Caesar. de B. G. I. 11. Iam necessitas ipsa *miseros* cogit esse fortes et constantes. Quare Iuvenal Satir. VIII. 121. rectori provinciae suadet: *Curandum in primis ne magna iniuria fiat Fortibus et miseris: tollas licet omne quod usquam est Auri atque argenti, scutum gladiumque relinques.* Pari modo hic requiritur, quod *miseris* opponatur. Ernestus putabat non spernendam esse coniecturam Acidalii: *plus impetus integris, maiorem constantiam penes miseros esse.* Ego conieci: *plus illis impetus, maiorem constantiam penes miseros esse.* Post *plus*, ob similitudinem inter *lus* et *illis*, hoc facile omitti potuit; *illi* sunt Romani, ut paullo ante: *sibi patriam coniuges, parentes, illis avaritiam et luxuriam caussas belli esse.*

Qui relegatum in alia insula exercitum. Placet, ait Lipsius, nec male tamen *religatum.* Si quid mutandum, legam: *qui Romanum ducem absentem et quasi relegatum in alia insula exercitum detinerent.* Dux Romanus non intelligebat suam praesentiam in Britannia esse necessariam. Expeditioni alium praeficere potuisset. Sed Deos Britannorum miseret. Ergo duci mentem eripuerunt. Haeret in alia insula; sic Deis placitum. Iidem exercitum detinent, quasi indicio sit relegatus, cui adeo redire non licet, nisi

XVI. His atque talibus invicem instincti, Boadicea, generis regii femina, duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum; ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis praesidiis, ipsam coloniam inva-

poenam graviorem subire velit. Homo *quasi relegatus* magis ostendit eum, qui fere indicio damnatus, quam qui simpliciter procul amandatus est. Tacit. Annal. VI. 38. *Tiberio Fulcinius obiectabat fluxam senio mentem, et continuo abscessu, velut exsilium.* Et Wexius: „Ut si quis relegatur, id populi scito et legibus decernitur, ita illi Deorum quodam decreto immissaque poena in illa insula detinentur." Fortasse Tacitus, addita *insula*, poenam simul ostendere voluit. Nota quippe erat *deportatio in insulam. Poenam* certe cogitavit, quia Deos miserebat Britannorum, quod apparebat in summa imprudentia ducis Romani. Quem autem punire volebant, eum faciebant φρενοβλαβῆ. Explicavit alicubi Ruhnkenius.

Neque enim sexum in imperiis discernunt. Tacitus Histor. III. 45. *Cartismandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate.* Annal. XII. 40. *Cartismandua callidis artibus fratrem ignominia, ne imperio feminae subderentur.* Ubi Lipsius Tacitum ita alloquitur: „Vereor, Tacite, ut mens tibi praesens. In tuis moribus, non in Britannorum fuisti, cum haec scripsisti. Numquid illis ignominiosum subdi feminae? Te igitur audi. *Solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare.* Quod clare testatur Boadicea tua XIV. 35. „Haec nempe verba Tacitus ibi Boadiceae tribuit. Lipsius, puto, non distinxit tempora. Cartismandua, iam a. 50, prima regina fuisse videtur. Hinc Britanni, reginae assueti, aequo animo paruerunt Boadiceae, a. 62. Tum quidem non insolitum erat, certe non sine exemplo. Nec cogitavit Lipsius, hostes Cartismanduae fuisse, qui ignominiosum dicerent, *subdi imperio feminae.* Amici aliter sentiebant. Ceterum Tacitus, hoc quod et ipse cogitabat, verbis hostium Cartismanduae expressit. Viros parere feminae, Romano, praesertim Tacito, turpissimum videbatur. Erat, credo, illi in mente exemplum Cleopatrae, quae Antonio imperabat, cui reginae imperium populi Romani ab eo fuisse destinatum inimici criminabantur, quod Antonio fuit perniciosum. Nec dissimulat odium adversus principes, Messalinae, Poppeae, Agrippinae servientes. Ne dissimulavit quidem, ubi non exspectasses, Hist. V. 25. *Si dominorum electio sit, honestius principes Romanorum, quam Germanorum feminas tolerari.*

Sumpsere universi bellum. Prima notio *sumendi* est in *armis*, hinc ad ipsum proelium et bellum transfertur. Ovid. Heroid. XVI. 371. *Nec tamen indigner pro tanta sumere ferrum Coniuge: certamen praemia magna movent.* Ubi vel ex *certamine* apparet non legi oportere *bellum. Sumere proelium* est apud Sueton. Caesar. 60: *sumere bellum* ubique. conf. Arntzen. ad Aurel. Vict. de Viris Illustr. 2. *Sumere arma* prius est, quam *proelium* et *bellum.* Ita et Graeci, Attici praesertim, ἄρασθαι ὅπλα, πόλεμον.

Nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit. Cicero Philipp. II. 2. *Nullum genus crudelitatis praeteritum.* Sallust. Fragm. Hist ed. Cort. p. 1013.

sere ut sedem servitutis. Nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria. Quod nisi Paulinus, cognito provinciae motu, subvenisset, amissa Britannia foret; quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et proprius ex legato timor agitabat, ni, quamquam egregius cetera, arroganter in deditos, et, ut suae cuiusque iniuriae ultor, du-

Neque sanctum aut nefandum quidquam fuit irae barbarorum. Verba *in barbaris* non erant necessaria. Tacitus addidit, ut significaret, se de crudelitate victoris nihil dicturum: notum esse, quid barbarae gentes, iratae et victrices perpetrare soleant. Atque hoc elegantius, quam Dio Cassius LXII, 7. qui, postquam dixerat, *τοῖς ἁλισκομένοις ἀνθρώποις ὑπ' αὐτῶν οὐδὲν τῶν δεινοτάτων ἐστὶν, ὅτι οὐκ ἐγένετο*, exempla crudelitatis exquisitae adiecit. Tacitus in Annal. XIV. 43. de crudelitate aliquid, tamen sine praefatione, dixit: *Neque enim capere aut venumdare, sed caedes, patibula, ignes, cruces, tamquam reddituri supplicium, ac praerepta interim ultione, festinabant.* Pro *in barbaris*, usitatius scripsisset *ut in barbaris.* Sic sententia per *ut*, nunc *augendo*, nunc *minuendo* definitur. Tacit. German. 30. *Multum, ut inter Germanos, rationis ac solertiae.* Curtius IX. 1. *Gens, ut barbari, sapientia excellit.* Florus IV. 12. *Nec temere sumtus, ut in barbaris, impetus.*

Tenentibus arma plerisque — tamquam exorabilior. Totus hic locus in Vatic. admodum turbatus apparet. Legitur in *Δ plerique* pro *plerisque*, in *ΔΓ propius* pro *proprius*, in *ΔΓ nequaquam* pro *ni, quamquam*, unde Puteol. fecit: *Hic quamquam suae eiusque* pro *suae cuiusque.* Alii deinde alia attulerunt ad ea vel explicanda vel emendanda. Ego haec edidi, ut edidit Wexius, qui *nequaquam* mutavit in *ni, quamquam: suae eiusque*, in *suae cuiusque.* Haec ita interpretatur: »Britanniam ille uno prospero proelio victam plane perdomuisset, et quamquam etiam tum plerique arma tenebant, quos conscientia defectionis et proprius timor stimulabat, tamen omnino veteri patientiae restituisset, ni durius in deditos consuluisset." Ego omnia alio modo constitueram, non tamen edidi, quia plus a Codd. discedere cogebar, quam Wexius discessit. Interea fortasse haec intellectu non sunt difficiliora. *Quod nisi Paulinus cognito provinciae motu subvenisset, amissa Britannia foret, quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tentantibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et propior ex legato timor agitabat. Hic quum egregius cetera, arroganter in deditos, et, ut suae exercitusque iniuriae ultor, durius consulêret, mittitur Petronius Turpilianus, tamquam exorabilior. Et delictis hostium novus eoque poenitentiae mitior, compositis prioribus nihil ultra ausus, Trebellio Maximo provinciam tradidit.* Pro *tenentibus* scripsi *tentantibus.* Verbum in re tali usitatum. Caesar B. G. I. 36. *Aeduos sibi, quoniam belli fortunam tentassent, et armis congressi ac superati essent, stipendiarios esse factos.* Livius XXII. 19. *Itaque non ab hoste et proelio magis Poeni, quam suomet ipsi tumultu turbati, tentata*

durius consuleret. Missus igitur Petronius Turpilianus tamquam exorabilior et delictis hostium novus eoque poenitentiae mitior, compositis prioribus nihil ultra ausus, Trebellio

verius pugna, quam inita, in fugam averterunt classem. Tacit. Annal. VI. 23. *Si arma ab Seiano tentarentur.* Idem *experiri.* Hist. IV. 20. *Fortunam proelii experiretur.* In *tentantibus arma plerisque* sq. caussa redditur, cur Britannia tam cito unius proelii fortuna veteri patientiae sit restituta. Plerique, qui tunc arma tentabant, erant rebelles, quia ex provincia Romana. Sed multi quoque accesserant ex regionibus nondum subactis; nam *universi bellum sumpserant.* Hi non erant rebelles, sed,*quos conscientia defectionis et propior ex legato timor agitabat.* Rebelles non diu pugnabant. Post leve certamen se dediderunt, agitati conscientia et metu propiore legati. Hinc iste pavor et consternatio. *Rebellio* est flagitium, scelus. Scelus Saguntinum *agitat* Hannibalem apud Liv. XXI. 41. Quare *nec domum nec patriam victam respiciebat.* Rebelles minus timebant legatum in insula Mona absentem. Metus e longinquo minor est, maior in propinquo. Silius IV. 772. *Sed propior metus armati ductoris ab ira.* Latinum quoque erat: *propius ex legato timor agitabat*, ut idem Silius I. 32. de Iunone, quae videbat Romanos per victorias et classes Carthagini fieri propiores: *Iam propius metuens.* Sed hoc sententiae minus accommodatum, quia rebelles absentem legatum non ita timebant, ut timore *agitarentur;* alioquin arma non tentassent. Ernestus interpretatur *propius*, magis, maiore sollicitudine, ex Ovid. Metam. XIII. 378. *Cura Deam propior luctusque domesticus angit.* Sed ibi *luctus domesticus* indicat quid sit *propior.* Ut nempe sibi quisque est proximus, ita liberi et affines, propinqui, sunt *propiores* quam extranei. *Propior cura* primum significat curam rei propinquae, ut *longinqua cura* apud Liv. XXII. 33. rei remotae. Hinc cura maior minorve intelligitur. At in Tacito valet significatio propinqui loci magis, quam inde ad animum deducta. Ceterum *conscientia* hic Britannos agebat ad timorem, alias saepe ad fortitudinem ex desperatione. Liv. XXXIV. 20. *Lacetanos cum insita feritas continebat in armis tum conscientia depopulatorum sociorum.* Tacit. Annal. XII. 31. *Conscientia rebellionis et obseptis effugiis, multa et clara facinora fecere.* Mox tentabam: *Hic quum egregius cetera.* In Vatic. *nequaquam*, unde Puteol. *hic quamquam*, ego *hic quum:* sive *nequaquam* ortum sit ex male repetito *qu͞u*, sive ex annotatione superlineari, qua glossator *egregius cetera* explicandum esse arbitrabatur. Illud *quamquam* minime requiritur, nec si quis vitio insito laboret, nec si in una re quadam se male gesserit. Liv. I. 35. *Ergo virum, cetera egregium, secuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio est.* Vell. Paterc. II. 46. *Qui vir, cetera sanctissimus, immunisque voluptatibus, in pecunia neque in gloria concupiscenda modum norat.* II. 119. *At Vala Numorius, legatus Vari, cetera quietus, diri auctor exempli.* Conf. Heins. ad Ovidii Metam. IX. 99. et Oudend. ad Appul. Metam. X. p. 704. Tum conieceram: *Suae exercitusque iniuriae ultor.* Pro *eiusque* scripsi *exercitusque*, in Mss. *ex'citusque*, unde *eiusque.* Mira sunt compendia scripturae in duobus Vaticanis, magis fortasse mira

Maximo provinciam tradidit. Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicere iam barbari quoque ignoscere vitiis blan-

in exemplaribus, unde illi descripti. Compendia ista interdum relinquebantur, interdum male explicabantur, ut mox puto *mittur* male suppletum est per *missus igitur*, pro *mittitur*. Paulinus suam et exercitus iniuriam coniungebat, quia sic proprio dolori honestius indulgere poterat. Iniuria, qua ad vindictam incitabatur, erat, quod Britanni defecerant, atque impediverant, quominus Monam subigeret, et rursus pugnam experiri coegerant. Ira erat iniusta. Nam ipse imprudenter terga occasioni praebuerat, eratque caussa rebellionis. Sed quo ira iniustior, eo plerumque est vehementior. Denique legebam: *Et delictis hostium novus.* Mittitur Petronius Turpilianus, tamquam exorabilior. Et revera erat, et esse facile poterat, quia, quod hostes peccaverant, non ipsi peccassent, sed Paulino. *Et* saepe novam sententiam orditur, qua quid ex antecedenti confirmatur; ut cap. 10. *Et est ea facies:* ubi plura interpretes. Kritzius quoque, ut ego, h. l. distinxit.

Comitate quadam curandi provinciam tenuit. Tenuit provinciam in officio, quia utebatur comitate in re curanda. *Curare* absolute pro *rem curare* est antiquae consuetudinis. Conf. Gronov. Lect. Plautin. p. 101.

Didicere iam barbari quoque. Tacitus, scribens *iam quoque*, cogitat alios, qui idem antea didicerant, eosque non barbaros. Cogitat, puto, ipsos Romanos, quos Augustus pellexit clementiae et comitatis memor, omnique modo nisus, ne quem novi status poeniteret. Ita Romani libertatis sensim obliti, et servitio asfuefacti, patienter tandem et aequo animo tulerunt, ut ab uno principe regerentur. Haec dixi, quia mox pro *vitiis* legendum suadebo *servitium.*

Ignoscere vitiis blandientibus. Qui alios suae voluntati et arbitrio subiungere cupiunt, saepe pessima arte usi sunt, ut blandimentis vitiorum corrumperent. Exempla singulorum hominum ita corruptorum, quale est v. c. illud Dionysii, qui filium Dionis sic educari iussit, ut indulgendo turpissimis cupiditatibus imbueretur, praetereo. De totis nationibus loquor, ut v. c. Cyrus Lydos rebellantes tractavit, quae gens, ut narrat Iustin. I. 7. *industria quondam potens et manu strenua, effeminata mollitie luxuriaque, virtutem pristinam perdidit, et, quos ante Cyrum invictos bella praestiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit.* Romani talem vim blandimentorum non ignorabant. Sciebant esse *oblectamenta et solatia servitutis*, ut Cicero in Verr. IV. 70. vocat ornamenta, Graecis publice non erepta, ut servitutem oblectarent, solarentur, quod Graeci appellant *παραμυθεῖσθαι τὴν δουλείαν*. Ipse Agricola non frustra in Britannis tentavit, hominesque *dispersos ac rudes, eoque in bella faciles, quieti et otio per voluptates assuefecit.* Sic illi paullatim *discesserunt ad delenimenta vitiorum.* Tacitus ne in Agricola quidem cap 21 facere potuit, quin adderet: *idque apud imperitos humanitas vocabatur, quum pars servitutis esset.* Adeo non laudabat. In Hist. IV. 64. legatum Tenchterorum facit dicentem Agrippinensibus: *Instituta cultumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subiectos, quam armis valent.* In Germa-

dientibus, et interventus civilium armorum praebuit iustam segnitiae excusationem. Sed discordia laboratum, quum assuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius, fuga

nia 23 similis indignatio elucet: *Adversus sitim non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis, quam armis, vincentur.* Mirum, cogitat, Romanos nondum importasse vinum; Germanos illecebris potandi facilius superabunt, quam bello. Sed de huiusmodi vitiis hic non agitur. Agitur tantum de *comitate quadam curandi*, qua Trebellius provinciam in patientia tenere potuit. Imperium erat mite, placidum. Non intelligo quid sit, barbaros *ignoscere vitiis.* Si, quod olim putabam, *ignoscere* absolute ponitur, *vitiis blandientibus* sumendum erat, tamquam in ablativo casu: *didicere iam barbari quoque ignoscere* dominis, quando *vitia*, ipsa servitus, et quae servituti propria sunt, blandiuntur. Sed hoc quoque contortum est. Crediderim potius Tacitum scripsisse: *didicere iam barbari quoque ignoscere servitium blandientibus.* Ignoscunt servitium iis, qui imposuerunt, si blandientes, blandis artibus usi, imponunt, et retinent. Hugo Grotius easdem artes domus Austriacae adversus maiores nostros egregie in Annal. I. p. 4. expressit: *Mitia imperantium ingenia potentiam temperando auxere, qua arte libertas, magis etiam, quam vi, expugnatur. Nam in cogentes resistendo crescit ferocia, comitate et mansuetudine ultro subitur; donec corruptis licentia moribus, concedi solita imperantur.* Ex obsequio servitium fit. *Servitium* tam active quam passive significat exercentes et tolerantes. Tacit. Hist. IV. 64. *Postulamus a vobis* (Tenchteri ab Agrippinensibus) *muros coloniae, munimenta servitii, detrahatis.* Muri sunt munimenta *servitii*, quo Romani nos opprimunt. Ita *servitium* idem est ac *dominatio.* In Annal. XIV. 31. templum a Claudio constitutum Britanni adspiciebant *quasi arcem aeternae dominationis.* Ut ignoscimus blandientibus *dominationem*, ita ignoscimus *servitium*: gentem eripere *dominio* et eripere *servitio* eodem redit, quod iam animadvertit Arntzen. ad Aurel. Vict. Epit. 5. *Ignoscere aliquid alicui*, notum est. Olim exemplis confirmandum putabant, ut Burm. ad Propert. II. II. 5. Alii aliis modis locum difficilem explicare conati sunt. Bootius *blandientibus* iudicat esse dativum personae, qui pendet ab *ignoscere*, alterum dativum *vitiis* pendere a *blandientibus.* Comparat Caesar. B. C. III. 32. *Universis imperatis pecuniis.* Cicero Orat. § 45. *A propriis personis et temporibus avocat controversiam.* De Rep. II. 36. *Prioribus equitum partibus secundis additis.* In quibus alterum quidem est dativus, alterum ablativus, sed eadem obscuritas et negligentia. Interpretatur autem: Britanni facile tulerunt Trebellium et Romanos suis vitiis, i. e. otio et voluptati, blandientes. Kritzius: „leniter ferre et adeo amare vitia, quorum dulcedine paulatim alliciebantur. *Ignoscere vitiis* atque adeo *ridere vitia*, cf. Germ. 19. adhuc Romanorum modo fuerat in urbe corruptissima degentium, iam barbari quoque discebant."

Praebuit iustam segnitiae excusationem. Arma civilia, non poterant praebere excusationem *iustam.* Quid enim? Certabatur extra Britanniam, cetero orbe divisam. Officium legati semper

ac latebris vitata exercitus ira indecorus atque humilis, pre-

erat exercitum in disciplina, insulam in obsequio tenere. Quidquid accideret, quisquis, Galba, Otho, Vitellius an Vespasianus vinceret, hoc nihil ad legatum. Hic Britanniam servare debebat imperio Romano, et cavere, ne per segnitiem et omissas expeditiones nasceretur periculum amittendi. Novus princeps Romanus excusationem nunquam ex animo vocasset *iustam*, Tacitus etiam minus. Fortasse scripsit: *praebuit honestam segnitiae excusationem.* In *honesta excusatione* est species honestatis, quae excusatio probabili nomine belli civilis non prorsus absurda videatur. Terent. Andr. I. I. 114. *Honesta oratio.* Cicero de Offic. II. 20. *Dictu quidem est proclive, itaque loquuntur, se in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam sequi. Honesta oratio.* Cicero in sq. ostendit, orationem modo habere speciem *honestatis.* Iustin. XV. 1. *Ut honestum adversus socios bellum suscipere videretur, divulgat se Olympiadis mortem a Cassandro interfectae ulcisci velle.*

Indecorus atque humilis. Sic Puteol. In utroque Vatic. *indecoris.* Quaestio non facilis, utrum praestet. Ab ea quaestione primum segrego illam de adiectivis in *er* desinentibus, ut *celeber*, *celebris*, de quo Ernest. ad Annal. II. 88. Drakenb. ad Liv. XXXII. 1. Oudend. ad Appul. Metam. p. 742. unde constat, quantum quidem Mss. fidere licet, terminationem *is* in genere quoque masculino usitatam. Hic quaerendum de adiectivis in *or* desinentibus, qualia *decor*, *indecor*, *dedecor*, *concolor*, *discolor*, *bicorpor*, *tricorpor* et quae praeterea inveniantur, pleraque collecta ab Heins. ad Ovid. Fast. V. 123. Heroid. IX. 3. Videamus de *decor* et compositis. Priscianus VI. servavit Naevii: *magnamque domum decoremque*, et Sallustii: *armis decoribus*, et, *dedecores multi.* Ex aliis Grammaticis novimus *dedecores* et *indecores* genere quoque feminino dici. Iam quaeritur quis sit nominativus, *indecoris* an *indecorus.* Apponam annotationem Servii ad Aen. XI. 423. "*Decor*, *decoris* facit, sicut *auctor*, *auctoris; decus*, *decoris*, sicut *pecus*, *pecoris:* similiter facit in compositione *indecor*, *indecoris; indecus*, *indecoris.* Ergo in neutro *co* brevis est, in masculino producitur, unde apparet systolen fecisse Virgilium: nam *indecores* nominativus est pluralis a masculino, ab eo, quod est *indecor*, nam non potest *hic indecus* facere: neutrum enim, *us* terminatum masculinum ex se non facit. Aut certe dicamus, *indecores* declinationem esse, cuius nominativus singularis non invenitur." Fortasse a vero non plane abhorret, quod dicam: *Decor* et *decus*, ut genere, ita et significatione differunt; a *decor* est adiectivum *decorus*, a *decus* adiectivum *decoris*, antepenultima correpta, ut in Naeviano, *domum decorem*, et Acciano, *cuius sit vita indecoris, mortem fugere turpem haud convenit.* (l. *cuius vita sit Indecoris, mortem fugere turpem haud convenit.*) Haec laudans Nonius Marcellus, addit: "apud antiquos fuisse in usu nominandi casum *indecoris*, et *indecore.*" Porro adiectivum mihi videtur esse formatum ex genitivo *decoris*, a decus, unde assumta particula privativa, *indecoris:* ut a *decor* fit *decorus* et *indecorus*, antepenultima producta. Ut *decus* ita *indecoris* magis refertur ad animum, *decor* et *indecorus* ad corpus, externam speciem. Tacit. Agric. 29. *Clari bello, et sua quisque decora gestantes*, i. e. insignia praestitae for-

cario mox praefuit, ac velut pacti exercitus licentiam, dux

titudinis, vel potius figurate, ipsas laudes virtute partas. At in Phaedri Fab. I. 13. *Quantum decoris corpore et vultu geris*, dicens vulpes, corvum laudat tantum a pulchritudine formae. Nec Britanni bene dicerentur bello clari et insignibus *decori*, nec corvus *decoris* corpore et vultu. Quam significationem Sallustius dederit *armis decoribus*, quod exemplum affertur a Prisciano, ignoramus. Aliam dedisse oportet, quam in B. Catilin. 7. *Magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in scortis atque conviviis libidinem habebant.* Neque imiter Ciacconium, ibi quoque legentem *decoribus armis*. Heins. ad l. l. Ovidii Fast. utitur et exemplo A. Gellii N. A. VII. 12. *Feminisque solis vestem longe lateque diffusam decorem existimaverunt.* Sed verum est *decoram*, quod vel ex antecedentibus apparet: *tunicis uti virum prolixis Romae atque omni Latio indecorum fuit.* Si, quae disputavi, vera sunt, in Tacito hic legendum est *indecoris*, quia dux, vitata exercitus ira fuga et latebris, *humilis* mox vocatus, perpetrat facinus turpius, quam *indecorum*. Agit *αἰσχρῶς* magis, quam *ἀπρεπῶς*, agit contra *decus*, ut Iugurtha apud Sallust. 33. qui *contra decus regium, cultu quam maxime miserabili Romam venit.* Wexius: „Displicet *indecorus*, quia non de re aliqua *non decora* agitur, sed de homine qui omne decus abiecit." Terminationem quoque *is* in adiectivis masculini generis defendit. Fortasse tamen omnem difficultatem in *indecoris* evitabimus et meliorem sententiam constituemus, verbis ita transpositis: *Trebellius fuga ac latebris indecoris vitata exercitus ira, mox humilis atque precario praefuit.* Dux interdum fortasse excusari potest, si latebra furorem exercitus vitat. Sed tum quaerit latebram honestam, apud amicum aliquem, in loco certe honesto. Si quaerit latebras nunc hic nunc illic, nec vel turpibus se abscondere eum pudeat, hoc indicium est anxii timoris, duce indigni. Tacitus *indecorum* vel in latebris reprehendit. Hist. III. 85. *Vitellius, fessus misero errore, et pudenda latebra semet occultans, ab Iulio Placido, tribuno cohortis, protrahitur.* Locus, ubi se in summo mortis periculo occultant, saepe nominatur. Ut apud Sallust. B. Iug. 12. *Cum Hiempsal interim reperitur, occultans sese tugurio mulieris ancillae.* Josua II. 4. *λαβοῦσα ἡ γυνὴ* (Raab) *τοὺς δύο ἄνδρας ἔκρυψεν αὐτοὺς*, et 6. *ἀνεβίβασεν αὐτοὺς ἐπὶ τὸ δῶμα, καὶ ἔκρυψεν αὐτοὺς ἐν τῇ λινοκαλάμῃ τῇ ἐστοιβασμένῃ αὐτῇ ἐπὶ τοῦ δώματος.*

Ac velut pacti exercitus licentiam, dux salutem. Antiquiores editiones locum distinguunt: *ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem. Haec seditio sine sanguine stetit.* Quod mihi non displicet, modo pro *haec* ex Mss. sumamus *et seditio*, vel potius mutemus *et* in *ita*. Sic certe difficultas evitatur, quae est in distinctione vulgata. Tum enim post *pacti* cogitandum erat *velut pacti essent*, vel confugere deberemus ad nominativum quendam absolutum. Utraque ratio dura. Solitum et Latinum erat: *ac, velut pactis, exercitu licentiam, duce salutem, ea seditio sine sanguine stetit.* Talis constructio est in cap. 20. *Utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur.* Solitum quoque et Latinum: *ac velut pactis exercitui licentia, duci salute, ea victoria sine sanguine stetit.* Sic Histor. II. 15. *ac velut pa-*

salutem; et seditio sine sanguine stetit. Nec Vettius Bolanus, manentibus adhuc civilibus bellis, agitavit Britanniam disciplina. Eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum, nisi quod innocens Bolanus et nullis delictis invisus caritatem paraverat loco auctoritatis.

XVII. Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam recuperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes. Et terrorem statim intulit Petilius Cerialis, Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, aggressus. Multa proelia, et aliquando non in-

tis induciis, Vitelliani Amphipolin, Othoniani Albingaunum revertere. Prior ratio magis mihi placet. Partes sequuntur casum totius praemissi. Liv. XXIV. 20. *Consules, Marcellus retro, unde venerat, Nolam rediit; Fabius in Samnium processit.* cf. Oudend. ad Sueton. August. 101. et Cort. ad Lucan. I. 115. *Tu sola furentes, Inde virum poteras atque hinc retinere parentem.* ubi h. l. Taciti utitur. Wexius et Kritzius interpretantur *pacti*, nempe *sunt.*

Et seditio sine sanguine stetit. Seditio mansit, duravit, continuata est, tamen sine sanguine. Liv. XXVI. 2. *Diu pugna, neutro inclinata stetit.* Ubi dux precario praeest, milites licentia grassantur, quamquam caede et sanguine abstinent, neque ducem tribunos et centuriones interficiunt, revera tamen est seditio, ea manet, stat, quia non est disciplina nec obsequium. Cogitabam quoque, an sic explicari posset: seditio substitit sine sanguine, ad sanguinem non devenit. Haud multum quidem ab altero differret, sed tum magis Latinum foret: *citra sanguinem stetit.* ut Annal. XII. 22. *Calpurnia, illustris femina pervertitur, quia formam eius laudaverat princeps, nulla libidine, sed fortuito sermone: unde vis Agrippinae citra ultima stetit.* Citra sanguinem, caedem. Quod nonnulli interpretantur *sine sanguine stetit* de pretio, ut in formulis *parvo, magno stare*, his ego nondum assentior. Scio Latinum esse *nullo sanguine stetit*, ut v. c. Liv. XXIII 30. *Multoque sanguine ac vulneribus ea Poenis victoria stetit.* An et *sine sanguine stetit* Latinum sit, dubito. Wexius verba *et seditio sine sanguine stetit*, uncis inclusit. Potest sane, ait, *multo sanguine* victoria aliqua stare, aut *nullo sanguine* stare, verum ineptum est dicere *sine sanguine stare.* Idem in Prolegomenis p. 117 ita disputat, ut parum absit, quin spuria esse credam, quae Tacito abiudicat.

Agitavit Britanniam disciplina. Kritzius: „*Disciplina agitavit* significat: ita agitavit, ut poscebat iusta rei militaris disciplina; vel: agitavit disciplina restituta." Valde dubito an Tacitus huiusmodi sententiam sic expressurus fuisset. *Agitare* proprium v. c. venatoribus, qui feras agitant, consistere non sinunt, *exagitatas* cubilibus. cf. Dukerus ad Florum I. 8. Hinc ad alia transfertur, ut Sallust. B. Catilin. 38. *Qui rempublicam agitavere.* Virgil. Aen. X. 71. *Gentes agitare quietas.* Quaecumque boni scriptores addunt, ad significandum id, *quo* quis agitur, hoc semper habet

cruenta; magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. Et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset: sustinuitque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus.

rationem et facile intelligitur, ut v. c. agitatur *iniuriis*, *scelere*, *seditione*. Dux Romani exercitus agitat Britanniam *disciplina*, non facile intelligitur. Iam apparet ex annotatione Kritziana. Ubi tot verbis opus est, ut probabilis eaque duplex sententia eliciatur, iam verendum, ut codd. scriptura sit vera. *Disciplina* h. l. proficiscitur a *duce*. Hic eam inter milites tueri debebat: ut legitur, videtur debuisse tueri inter Britannos. Latinum erat: *agitavit Britanniam armis*, *excursibus*, *expeditionibus*, nihil ita quietum patiebatur: Latinum quoque erat: *agitavit Britanniam*, ubi modus, quo agitabat, facile cogitatur. Fortasse locus corruptus ita emendari potest: *Nec Vettius Bolanus agitavit Britanniam. Disciplina eadem. Inertia erga hostes similis*, *similis petulantia castrorum*. Acerbe *disciplina eadem*, quam exercuit Trebellius, i. e. disciplina nulla erat. Effectus nullius disciplinae apparuit in *simili inertia* erga hostes, *simili* castrorum *petulantia*. Ex iisdem se consequentibus verbis unum saepissime omissum. Quam elegans sit repetitio, multa exempla testantur.

Magnamque Brigantum partem. Praecedit *Brigantum* civitatem, quae numerosissima provinciae totius; ergo *Brigantum* hic non modo plane supervacuum, sed etiam inepte repetitum est. Alia pars, quam Brigantum cogitari non potest. Solitum glossatoribus nomina regionum in margine vel supra lineas addere.

Et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset. Haec est scriptura Codd. Vatican. unde vulgo ex mutatione Puteolani edebatur *Et quum Cerialis quidem* sq. In his *alterius* praesertim obscurum est. Ernesto iudice friget *quidem*, nisi alter successor diversus sit a Iulio Frontino. Id ni sit, verum putat *alterius cuiusvis* vel *cuiusque alterius*. Ita nempe praeclaras res gesserat Cerialis, ut cuiusvis successoris cura et gloria parva futura esset prae cura gloriaque ipsius. Sed tamen et Frontinus se parem ei praestitit. Haec fere Ernestus. Ergone Cerialis nullum sibi parem successorem nancisci potuisset, praeter unum Frontinum? Quid igitur, si Agricola tum successisset? Hic quidem successor Frontini, et huius et illius curam famamque obruit. Affirmatio Taciti esset temeraria et invidiosa, quam, credo, ipse emollivisset, scribendo v. c. *fortasse obruisset*, i. e. neminem facile parum futurum fuisse. Viri docti certatim conati sunt locum corruptum emendare. Feilitzschius in Programm. *Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruit*, *sed sustinuit utique molem Iulius Frontinus*. Obbarius in Novis Actis Philol. Vol. LXXIII. p. 822. intercidisse post *obruisset* putat, *sed obiit mox:* Bootio tum facilius videbatur *ni obiisset*. Wexius edidit: *curam famamque obruisset* * * *sustinuitque molem*, et lacunam implet *sed subito medio in cursu exstinctus est*. Petilii successorem *alte-*

XVIII. Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media iam aestate transgressus Agricola invenit, quum et milites, velut omissa expeditione, ad securitatem, et hostes ad occasionem verterentur. Ordovicum civitas haud multo ante ad-

rum esse putat *Agricolam*, primum Frontinum, alterum Agricolam. Kritzius excidisse coniicit, *nisi immaturo fato obiisset*. Ego sic cogitaveram: Cerialis a Vespasiano iam Britanniae praepositus est a. 71. Agricola a. 78. Inter annos 71—78 *missi sunt magni duces*, et memorantur tantum duo, Cerialis et Frontinus. Atque hic quidem vix annum provinciam administrasse videtur. Credibile puto unum saltem fuisse inter Cerialem et Frontinum, quo nomine, incertum. Sed nomen corruptum est in verba *quidem alterius*. Nomen esse potuit *Q. Atilii Rufi*. Huic, post rem in Britannia bene gestam data est Syria provincia, in qua a. 85, quo Agricola ex Britannia Romam rediit, mortuus est. Ut Q. Atilio Rufo post legationem Britannicam data erat Syria, sic eadem dicebatur esse destinata Agricolae. Tacitus narrat Agric. 40. fuisse opinionem, *Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi, consularis*. Quare legam: *Nec Cerialis Q. Atilii Rufi successoris curam famamque obruit, sustinuitque molem Iulius Frontinus*. Ita omnes tres magni duces multa cum laude Britanniae praefuere, quum Agricola istum Britanniae statum et bellorum vices inveniebat. Hic eorum curam famamque obruit. Tacitus quidem non dicit, sed cogitat, et ex vita soceri deinceps apparet. Ne quis miretur, me ex *quidem alterius* eruisse *Q. Atilii Rufi*, is recordetur, nomina propria saepe et in aliis scriptoribus et in Tacito evanuisse in verba a sententia loci prorsus aliena, ita ut plerumque explicari non possint. *Quintus* significatur interdum per *Quin*, saepius per unam literam Q. Hinc alii librarii alia verba effinxerunt, in Tacito et aliis non semel acumine I. Lipsii felicissime emendata. Annal. IV. 21. *Pisonemque Gravius*. Lips. *Pisonem Q. Gravius*. In Senec. Epist. 40. *Namque Echeri*. Lips. *Nam Q. Hateri*. Vell. Paterc. II. II. *Perque Metellum*. Acidal. *per Q. Metellum* Idem II. 9. *Namque Mucius*, et in Florentino *Nam quum Mucius*, ubi Acidalius: „*nam Q. Mucius*; quippe *τὸ cum* non aliunde est nisi e *τῷ Quin* dimidiato." Ita hic in Tacito ex *Quin* scribi potuit *quidem*. Porro in *alterius* literis transpositis est *atili rus*, corruptum ex *atilii rufi*. Huiusmodi exempla inveniuntur in Tacito, ut Agric. 7. *intemplo* — *intemelios*. Annal. XI. II. *cavere* — *Valerii*. XI. 22. *novi* — *Novius*. XII. 61. *cum* — *Coeum*. XIII. 27. *amitae* — *Domitiae*. XIV. 29. *silvas* — *Siluras*. Pleraque debentur Lipsio. Idem ad Annal. IV. 45. in Sallust. Fragm. l. III. legit *Termassinorum* pro *tum externorum*. De tertio aliquo duce aliis quoque in mentem venerat. Cognovi ex Feilitzschio. „Hubnerus quidem in Museo Rhenano novo XII. 1. p. 53. proximum Cerialis successorem non Frontinum, sed alium quempiam ignotum fuisse suspicatur, nulla, ut equidem arbitror, idonea ratione. Quamquam idem iam olim Dederichio placuisse video in Diurn. Antiquar. 1839, p. 837. Nec Nissenius se ab hac suspicione abhorrere profitetur p. 154."

Curam famamque obruisset: sustinuitque molem Iulius Frontinus. Qui

ventum eius alam in finibus suis agentem prope universam obtriverat, eoque initio erecta provincia; et quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, ac recentis legati animum operiri, quum Agricola, quamquam transvecta aestas,

obruere idem esse putant atque *obumbrare*, metaphoram per diversam metaphoram interpretantur; neque vis *obumbrandi* refert vim *obruendi*. Aliquid *obruitur* terra ingesta, obtegitur, plane e conspectu tollitur, sepelitur. Notum illud Ciceronis figuratum, pro Arch. 10. *Nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset.* Tacit. Agric. 46. *multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet.* Disputat de verbo Gebhard. ad Nepotis Pausaniam I. 1. *Ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus;* explicans *obtectus*, *obscuratus*. Recte *obtectus*, vel potius *opertus*, *coopertus*, minus recte *obscuratus*, neque recte illa: „Obrui enim opposuit τῷ *elucere*. Ergo *obruere* est *obscurare*." Atque hoc etiam confirmari putat ex h. l. Taciti. Staverenus ibi nos consulere iubet eximios interpretes Burmannum significans, ad Valer. Flacc. I. 319. Burmannus tamen neque, ut oportebat, de hoc verbo exposuisse, neque locum Quintiliani Instit. Orat. XII. 10 accepisse videtur. Quintilianus: *sed evanescunt haec atque emoriuntur comparatione meliorum. ut lana tincta fuco citra purpuram placet: si contuleris etiam lacernae, conspectu melioris obruatur, ut Ovidius ait.* Burm. „et Ovidium eo verbo ita usum docet Quintilianus: *lana tincta fuco citra purpuram placet. At si contuleris lacernae, respectu melioris obruatur, ut Ovidius ait.*" Colomesius versiculos, fortasse ex tragoedia sumtos, sic restituit: *Ut lana tincta purpuram citra placet, At si contuleris eam lacernae, Conspectu melioris obruatur.* Fecit igitur senarium, et duos hendecasyllabos. Optime autem Gesnerus monet *fuco*, quod Colomesius omisit, non omitti debuisse. Sunt, puto, omnes senarii, membra disiecti poëtae, partim quoque mutati. *Ut lana fuco tincta purpuram citra Placet; lacernae ubi contuleris Laconicae, Melioris obruitur conspectu.* Sequebantur tres syllabae, v. c. *scilicet*, vel aliud initium novae sententiae. *Pro lacernae* in Cod. Vallensi esse *Lacenae* notat Gallaeus. Hoc erat, puto, *lacernae Laconicae.*

Sustinuitque molem. Ut Cerialis sustinuit, ita Q. Atilius, et Frontinus sustinuerunt rem, a Ceriale inchoatam et successoribus continuatam, quae res tantae molis erat, ut magnum virum esse oporteret, qui posset subire, nec succumberet. Cerialis quamvis praeclare se gessisset, non omnem laudis materiem aliis praeripuerat. Successio tamen illi semper erat difficilis, et quia tantus vir, et quia tanta moles rerum erat sustinenda. Ovidius Metam. XV. 1. *Quaeritur interea, qui tantae pondera molis Sustineat, tantoque queat succedere regi.* Tacit. Annal. I. 11. *Solam Divi Augusti mentem tantae molis capacem; se in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didicisse, quam arduum quam subiectum fortunae cuncta regendi munus.* Plinius Panegyr. 44. *Nemo est ergo tam tui, tam ignarus sui, ut locum ipsum post te concupiscat: facilius est, ut esse aliquis successor tuus esse possit, quam ut velit. Quis enim curae tuae molem sponte subeat? Quis comparari tibi non reformidet? Expertus*

sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviam

et ipse es, quam sit onerosum succedere bono principi. Curt. X. 5. *Huic regi ducique successor quaerebatur; sed maior moles erat, quam ut unus eam subire posset.* Interpretatio Wexii fere est eadem.

Vir magnus, quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit. Vide, quam obscurum esse videatur illud *quantum licebat*: explicant, vel, pro virium modulo, vel referunt ad tempora magnis viris periculosa, vel magnitudinem Frontini sic limitari putant. Wexius omnia refutat et coniungit *sustinuit quantum licebat.* Kritzius valde laudat; scilicet, ait, in summis undique ingruentibus periculis tam fortem acremque operam rebus Romanis tuendis praestitit, quantum rerum status difficilis permittebat. Est sane ratio Wexiana omni alia melior. Remanet tamen aliqua difficultas. Si Iulius Frontinus laudatur, quia molem *quoque sustinuit*, eam sustinuit, ut ante ipsum sustinuerat Cerialis. Hic quoque praestiterat, quantum status rerum difficilis permittebat; ergo et praestiterat, quantum per istum rerum statum licebat. Ita in *quantum licebat* semper est restrictio quaedam. Talis restrictio non referri potest ad universam rerum administrationem; nam in ea *magni duces* nunquam non faciunt, *quantum licet*, et sic verba ista parum significant. Quare potius referenda esse videntur ad unum aliquid ex toto prae ceteris omnibus difficile, quod magnam partem, maximam adeo, non omnino profligatum est, nec profligari potuit. Hoc unum ante omnia difficillimum cernebatur in subactis Siluribus. Legamus: *sustinuitque molem Iulius Frontinus, vir magnus; quantumque licebat, validam et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus.* Huius victoriae difficultas apparet in gente valida et pugnaci, in virtute hostium, in locis quos *eluctari* debuit. Quam ferox gens Silures, iam olim cognoverant Romani. Tacitus narravit in Annal. XII.

Quum et milites velut omissa expeditione ad securitatem. Et haec transponenda iudico: *quum et milites ad securitatem, et hostes, velut omissa expeditione, ad occasionem verterentur.* Iste Britanniae status Romanos fecerat securos, minus intentos, quam in hostili regione esse oportebat. Britanni arbitrabantur, se ista Romanorum securitate, ortaque inde incuria et negligentia, posse uti ad occasionem, cum praesertim expeditio, quae vulgo initio aestatis suscipiebatur, omissa esse videretur. Iam media aestas erat, nec quidquam adhuc erat actum. *Omissa expeditio* non adeo ad securitatem Romanam referenda. Tum potius scriptum esset: *quum et milites velut omissa expeditione ad quietem*, ut mox *praesumta quies.*

Ordovicum civitas. Hic deest aliquid, quo haec aptius cum antecedentibus connectantur. Deest, puto, *iamque.*

Ipse ante agmen. Fortasse *ipse* poterat opponi Ordovicibus; quia Ordovices non audebant ad pugnam descendere, ipse ante agmen erexit aciem, ipse adscendit ad pugnam. Sed ita non satis intelligitur *par animus simili periculo.* Aliud, puto, quaerendum, in quo certior periculi similitudo, apparet. Legendum: *pedes ante agmen*

discrimini statuit; contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordivices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem. Caesaque prope universa gente, non ignarus instandum famae, ac, prout prima cessissent, terrorem ceteris fore, Monam insulam, cuius possessione

Hoc duces facere solebant, et Agricola fecit cap. 35. *dimisso equo ante vexilla constitit.* Sallust. B. Catil. 59. *Dein, remotis omnium equis, quo militibus, exaequato periculo, animus amplior esset, ipse pedes exercitum instruit.* Caesar B. G. I. 25. *Caesar primum suo, deinde omnium ex conspectu remotis equis, ut, aequato omnium periculo, spem fugae tolleret, cohortatus suos, proelium committit.* ubi *omnium* ante *periculo* delendum arbitror. Liv. II. 20. *Recepit extemplo animum pedestris acies, postquam iuventutis proceres aequato genere pugnae secum partem periculi sustinentes vidit.* Ammian. Marcell. XVI. p. 87. *Vociferantium: relictis equis secum oportere versari regales, ne, si quid contigisset adversum, deserta miserabili plebe, facilem discedendi copiam reperirent.* Locum Iul. Caesaris expressit Iul. Celsus, ut vulgo appellatur, atque ita expressit, ut verba Taciti simul ei in mente versata esse diceres: *Ipse, acie instructa, equis autem omnibus non dimissis modo, sed e conspectu abductis, ut fugae spes erepta spesque par periculi oculis obiecta, pares animos darent, pedes ipse cum legionibus in hostes ruit.* Schneiderus, qui a. 1827 librum edidit, locum corruptum non correxit. Corrigo: *ut fugae spes erepta, speciesque par periculi oculis obiecta.*

Prout prima cessissent, terrorem ceteris fore, Monam insulam sq. Bella constant fama. Primi eventus suo cuiusque hosti vel metum vel fiduciam augent. Igitur, prospero eventu, instandum famae. Haec est communis sententia, usu rerum et testimoniis historicorum confirmata. Iam dubito an talis sententia sic a Tacito exprimi potuerit. Si *prout prima* tantum pertinerent ad victoriam recens reportatam, neque communem sententiam constituerent, Tacitus, credo, scripsisset: *prout prima cesserant*, pro eo ut cesserant, ut illa victoria fuerat. Ita recte post proelium; *cessissent* autem ante proelium. Tum communis sententia postulat non modo *terrorem*, sed etiam contrarium, v. c. *fiduciam*, quia *prouti cessissent* incertum eventum proponunt. Ratio sententiae, recte compositae, intelligitur ex Cicer. Epist. ad Att. X. 19. *Ut male posuimus initia, sic cetera sequentur.* Tacit. Hist. II. 20. *Caecina consilia curasque in oppugnationem Placentiae magno terrore vertit; gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.* Annal. XII. 31. *Gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit.* Auctor Epist. de Rep. Ordin. in Fragm. Sallustii, 1. *Qualicunque modo tu victoriam composueris, ita alia omnia futura.* Saxo Grammat. p. 119. *Quisquis primam feliciter militiam gesserit, consimilem de ceteris fortunam sperare possit.* Dio Cass. L. XXX εὖ γὰρ ἴστε ταῦθ', ὅτι, ἂν καὶ τήμερον αὐτοὺς νικήσωμεν, οὐδὲν ἔτι πρᾶγμα ἕξομεν· ἄλλως τε γὰρ φύσει πᾶν τὸ ἀνθρώ-

revocatum Paulinum rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. Sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant; ratio et constantia ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt, ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare exspectabant, ni-

πειον ὅταν ἐν τοῖς πρώτοις ἀγῶσι σφαλῇ, καὶ πρὸς τὰ λοιπὰ ἀθυμότερον γίνεται. Initia ista sunt *pro omine*, ut Sallust. apud Serv. ad Aen. X. 311. *Pugnam illam pro omine bello futuram.* Si locus Taciti ex sententia, tam perspicue ab aliis proposita, explicandus est, nec scio quomodo aliter explicari possit, fortasse non male legeretur: *Caesaque prope universa gente, non ignarus instandum famae, ac, prout prima cessissent, fore cetera, terrore Monam insulam — redigere in potestatem animo intendit.* Sic *prima* et *cetera* more solito ponuntur, et Agricola, fama caesae gentis Ordovicum usus, putabat insulam Monam terrore, quem prima ista fecerant, posse subigi. Neque opinio eum fefellit. *Terror* erat ex *fama* primae victoriae; eum *terrorem* subito impetu augebat. Liv. XXXVI. 20. *Tum aggredi Larissam constituit: ratus terrore ceterarum expugnatarum — non ultra in pertinacia mansuros.* Agricola suos tam repente immisit, ut hostes obstupefacti sese statim dediderint. Wexius et alii in *ceteris* cogitant *nationibus*, *Britannis.* Bootius coniecerat: *tenorem ceteris fore.*

Sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant; ratio et constantia ducis transvexit. Hoc est: ut in dubiis consiliis vulgo fit, fieri solet, fit, naves deerant. Sallust. Fragm. l. III. *Diversa, uti solet, rebus perditis, capessunt.* Liv. X. 26. *Sed, ut in re subita, parum explorato itinere, ad iugum perrexit.* Ammian. Marcellinus XXXI. p. 487. *Multisque, ut in tali negotio, variatis sententiis.* Sed ea huius loci sententia non vera est. Nam, quum consilia sunt dubia, homines dubii sunt consiliorum, naves non semper desunt, et saepissime non desiderantur. Idem illud falsum manet in coniectura Gronovii *ut in subitis consiliis*: neque tollitur explicatione Wexii: „ut, i. q. *utpote ὡς* est: quod facile intelligitur fieri, quod facile exspectatur." Locus, verbis transpositis, et eiecto *ut*, emendari potest *sed naves deerant: in dubiis consiliis, ratio et constantia ducis transvexit.* Agricola animum in possessionem insulae Monae intendit. Sed non erant naves, quibus milites transveherentur. Quum alii alia consilia darent, nec scirent, quid esset faciendum, nonnulli fortasse et dissuaderent expeditionem, Agricola, in dubiis consiliis, proposito non destitit, et ratione supplevit, quod deerat. *In dubiis consiliis*, nota formula. Liv. I. 21. *In variis voluntatibus, communi tamen metu.* IV. 29. *Nec libet credere, et licet, in variis opinionibus.* Feruntur aliae virorum eruditorum coniecturae, in his Acidalii, ita transponentis: *naves deerant; sed ut in dubiis consiliis ratio et constantia ducis transvexit.*

Lectissimos auxiliarium. Lipsius cogitat de solis Batavis. Ego et de multis Britannis, quibus praesertim nota essent vada suae insulae, et eximie

hil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace ac dedita insula clarus ac magnus haberi Agricola, quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem et officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset. Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse; ne laureatis quidem gesta prosecutus est. Sed ipsa dissimulatione famae famam auxit aestimantibus, quanta futuri spe tam magna tacuisset.

XIX. Ceterum animorum provinciae prudens, simulque doctus per aliena experimenta parum profici armis, si iniu-

quoque vada ad Monam ducentia. Vada non ubique terrarum sunt eadem, differunt etiam ipsa in partibus vicinis. Nosse oportet, si pedes transire velis. Multa sunt iisdem in locis, quae transire non possis, nisi identidem nando. Batavis mos patrius erat nandi, Britannis haud minus. Sed hi sua vada melius noverant, quam illi aliena. Caesar B. G. IV. 26. *Hostes* (Britanni) *vero, notis omnibus vadis, ubi ex litore aliquos singulares ex navi egredientes conspexerant, incitatis equis impeditos aggrediebantur.* Tacitus Histor. V. 15. *Orta trepidatio* (Romanis) *cum praealtis paludibus arma, equi, haurirentur. Germani notis vadis persultabant.* Agricola autem in auxiliaribus habebat Britannos, *longa pace exploratos*, cap. 29. quod ipsum valde dolet rex Calgacus cap. 32.

Sic ad bellum venientibus. Sic, ut mare et vada sine navibus transirent, quae ita ab exercitu transiri posse nunquam crediderant. Imitatur Gualterus in Alex. IV. 573. *Vincere quis nolit, ubi sic in bella venitur.* Wexius Britannos plane excludit, et solos Batavos et Germanos vult intelligi. Rogat: „si Britannis hoc consuetum erat, qui tandem poterant illius regionis Britanni hac re obstupefacti admirari hostes sic ad bellum venientes?" Itaque vada non intelligit potissimum illius regionis, sed universe dictum putat, Batavis et Germanis vada quaecunque nota, i. e. usu et consuetudine cognita.

Quanta futuri spe tam magna tacuisset. Iustin. XI. 1. *Ita moderate de se multa pollicitus est, ut appareret, plura eum experimentis reservare.* quem locum Berneg. ibi cum hoc Taciti comparavit.

Si iniuriae sequerentur. Mss. *incuriae*, Kritzius edidit. Ego *iniuriae*, quod est emendatio Puteolani. Parum proficitur armis, si iniuriae sequuntur victoriam. Nam eae semper fuerunt caussae bellorum. Igitur caussas, ipsas adeo iniurias excidit. Quae sint iniuriae, et unde ortae, mox enumerat. Disputationem ita absolvit: *Haec primo statim anno comprimendo, egregiam famam paci circumdedit; quae vel incuria vel intolerantia priorum, haud minus quam bellum timebatur.* Si supra legas *parum profici armis, si incuriae sequerentur;* hic fere dicis: pax timebatur propter *incurias*, quae *incuria* priorum timebantur. *Incuriae* sic post *parum profici armis* positae, tenuius

iuriae sequerentur, caussas bellorum statuit excidere. A se suisque orsus primum domum suam coercuit, quod plerisque haud minus arduum est quam provinciam regere. Nihil per

est verbum, et Tacitus saltem scripsisset: *si incuriae legati sequerentur.* Neque *incuriae* satis ostendunt, quod statim erat significandum, caussam rebellionum in culpa legatorum esse quaerendam. *Incuria* quidem erat non leve vitium, sed non comparandum cum *iniuria.* Legatus esse poterat incuriosus, et tamen innocens, neque invisus delictorum, ut Vettius Bolanus. Et omnis incuria non agit ad bellum, *iniuria* semper agit. Tacit. Agric. 13. *Britanni delectum ad tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt, si iniuriae absint: has aegre tolerant.* Annal. III. 13. *Pisonem vulgus militum per licentiam et sociorum iniurias corrupisse.* Iuvenal. Satir. VIII. 120. monet rectorem provinciae: *Curandum imprimis ne magna iniuria fiat Fortibus et miseris: spoliatis arma supersunt.* Wexius quoque edidit *iniuriae.* Kritzius scripturam Vatic. defendit: „*incuriae* sc. legati sunt *neglecta omnis generis officia*, sine quorum diligenti observatione provincia recte administrari et contineri nequit. Veritas scripturae codicum perspicitur quum ex eo, quod sequentibus accurate docetur, quibus rebus Agricolae *cura intenta fuerit*, tum c. 20. *Egregiam famam paci circumdedit, quae vel incuria vel intolerantia priorum haud minus quam bellum timebatur.*"

A se suisque orsus. Cicero pro lege Manil. 13. *Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non contineat: neque severus esse in iudicando, qui alios in se severos esse non vult.* Idem Q. Fratri Epist. I. 1. *Quid est enim negotii continere eos quibus praesis, si te ipse contineas?* Iuvenalis in Satir. VII. 87. sq. praesertim hic comparandus est, qui eadem vitia proconsulum vehementer reprehendit.

Nihil per libertos servosque publicae rei. Plurimi cogitando supplendum putant *agere*, Ernestus hoc verbum statim post *regere* excidisse coniicit: legebat ergo: *quod plerisque haud minus arduum est quam provinciam regere. Agere nihil per libertos.* Exempla quidem, ubi *agere* intelligitur, inveniuntur permulta, eaque iam Gronov. et alii ad Liv. XXVI. 20. Perizon. ad Sanctii Minerv. IV. 5. interpretes ad h. l. Taciti magno numero congesserunt. Sed in istis exemplis haud affirmaverim esse unum huic nostro prorsus simile. Fortasse idem sentiebat Ernestus, cum diceret: „intelligi volunt *agere:* cuius ellipseos exempla requiro." Ellipsis ipsa ei non esse potuit ignota. Vulgo aliquid antecedit, unde ellipsis facilius cogitatur, a quo ipsum verbum fere pendet. Tum *publicae rei*, sic praesertim in fine posita, ellipsin non faciunt tolerabiliorem. Tolerabilior certe mihi videretur: *Nihil per libertos servosque; non studiis privatis* sq. Tacitus German. 13. in simili constructione verbum addidit, ut Latinitas postulabat: *nihil autem neque publicae neque privatae rei, nisi armati, agunt.* Et hic postulatur, propterea quoque, quod infinitivus omnibus rebus et in fine adduntur: *accire, putare, exsequi, commodare, contentus esse, praeponere;* quo verosimilius est eum et hic in fine addidisse verbum *agere.* Coniicio: *Nihil per libertos servosque publice agere.* Liv. IV. 13. *Sp. Maelius privata pecunia frumentum coëmerat, tum*

lib tos servosque publicae rei, non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionem militesve ascire, sed optimum quemque fidissimum putare; omnia scire, non

Minucius eandem publice curationem agens, quam Maelius privatim agendam susceperat, ad senatum refert. Ubi male legebatur *rei publicae.* cf. Gronov. Tacit. Histor. I. 58. *Ministeria principatus, per libertos agi solita.* Annal. XII. 40. *Didius, senectute gravis et multa copia honorum, per ministros agere.* Agricola autem libertos servosque parvi faciebat. Tacitus in eo sic laudando et priores legatos, et Caesares reprehendit. Idem facit in German. 25. *Liberti non multum supra servos sunt: raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate.* Agricolae suus honesti sensus Romanus hoc inspirabat, et noverat epistolam Ciceronis ad Q. Fratrem I. I. 1. monentis: *ni quis ex servis egregie fidelis sit in domesticis rebus et privatis; quae res ad officium et imperium tuum pertinebunt, de iis rebus ne quid attingant. Multa enim, quae recte committi servis fidelibus possunt, tamen sermonis et vituperationis caussa committenda non sunt.*

Centurionem militesve ascire. Sic edidi, secutus Wexium, qui hoc effecit e Codd. Vatic. *centurionem milites nescire.* Kritzius *centurionem, milites,* nec *militesve* necessarium putat, asyndeton praefert, sententiam secundum Wexium explicat: „Non agitur de instituto rei militaris, sed de una administratione provinciae et de moderandis coercendisque iis, qui ad administrandas provinciae res adhibiti singulisque officiis praepositi essent. His officiis apparitorum, lictorum, viatorum, scribarum, praeconum, frumentariorum, qui adhibebantur ex militibus delecti, efficiebant *cohortem accensorum,* iidemque, quia a reliquis militiae muneribus liberati erant, *beneficiarii* nominabantur; singulis autem officiis praeerat centurio. Iam multis accensi munus expetentibus, quod et minus laboriosum esset quam iusta militia, et paulo honorificentius, et simul lucro faciendo opportunius, Agricola non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionem, militesve *ascire,* i. e. *in numerum accensorum recipere,* sed solam virtutem spectare."

Omnia scire, non omnia exsequi. Interpretes disputant de significatione verbo *exsequi* tribuenda, *punire, examinare* an *dissimulando transmittere.* Ordo significationis, ni fallor, haec est. *Exsequor omnia,* continuo sequor, persequor, exsequor, vestigia omnium rerum, res pervestigó, inquiro, *παρακολουθέω.* Qui peccata *exsequitur,* eo consilio facit, ut puniat. Utriusque exempla sunt in Livio VI. 14. *Aurum ex hostibus captum in paucorum praedam cessisse. Itaque exsequebantur quaerendo, ubi tantae rei furtum occultaretur.* III. 25. *Cum deorum hominumque simul violata iura exsequemur.* Cf. Gronov. ad IX. 8, et I. 59. Graecum verbum illustratur in N. T. ed. Wetst. ad Luc. I. 2. inter alia ex Demosth. de Falsa legat. *ὁ τὰ τούτων πονηρεύματα ἀκριβέστατα εἰδὼς ἐγὼ καὶ παρηκολουθηκὼς ἅπασι,* qui sciebam et omnia exsecutus sum.

Nec poena semper. Ernestus intelligendum putabat verbum *uti,* quod in altero membro lateat quodammodo. Vulgatum, credo, non aliter a lectore Romano acciperetur, quam: Agricola non semper contentus erat poena peccantis, sed eum insuper odio perse-

omnia exsequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare, nec poena semper, sed saepius poenitentia contentus esse; officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere, quam damnare, quum peccassent. Frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum mol-

quebatur. Et tamen omnes norant, talem non fuisse Agricolam, neque a Tacito describi, mox narrante: eum, ut comem bonis, adversus malos quidem iniucundum fuisse, sed ex iracundia nihil superfuisse, honestiusque putasse offendere, quam odisse. Poena *contentus non est* crudelissimus quisque, qui vel propterea poenam interdum differt, lentum supplicium sumit, unde illud Tiberii „nondum tecum in gratiam redii." Seneca Herc. Oet. 295. *O nulla dolor Contente poena, quaere supplicia horrida, Incogitata, infanda.* Ammianus Marcell. XXX. p. 460. *Nec enim usquam reperitur miti coercitione contentus, sed aliquoties quaestiones multiplicari iussisse cruentas.* Sed *poena* contentus est vel severissimus, saepe parva, sicuti ille apud Ammian. Marcell. XXIX. p. 430. *Ut contentum se supplicio leniori monstraret, omnes contrusit in infimum militiae gradum.* Interdum vel severissimus sola poenitentia contentus est, ut Agricola. Legendum puto: *parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare, nec poenam semper, sed saepius poenitentia contentus esse.* Severus adversus malos, non tamen semper malos puniebat, sed saepius satis habebat, si eos, verbis severe castigatos, commissi poeniteret. Wexius interpretatur *severitatem* commodare poena, i. e. puniendo. Ut *poena* ablativus casus sit. Kritzius: „*Poena* est ablativus instrumentalis, nisi praestat per zeugma ex sq. verbo sententiam sic constituere: nec (tamen) poenam semper exigere."

Frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum mollire. Munera sunt triplicia, alia personalia, alia patrimoniorum, alia mixta, ut ex Iure consultis docet Rykius ad Taciti Annal. XII. 58. *Ut Ilienses omni publico munere solverentur.* Ubi amicus Rykii frustra malebat *omni publico onere.* Sic *munera* complectuntur omne genus *tributorum.* Sed cum *tributis* coniuncta, aliud significare debent. Quid debeant in hoc libello, exempla ostendunt. cap. 13. *Ipsi Britanni delectum ac tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt, si iniuriae absint.* cap. 31. *Bona fortunaeque in tributum, aggeratur annus in frumentum.* Ergo tributa et munera non sunt eadem, neque idem *frumentum* et *tributum.* Ad eam rationem hic bene legeretur: *Tributorum et munerum exactionem aequitate mollire.* Glossa illud *frumenti* peperisse videtur. *Aequitate* iam correxerunt Muretus et Acidalius. Romani, puto, non exigebant a singulis hominibus, sed a totis civitatibus, vel vicis et pagis. In re tali non agitur de aequali divisione munerum inter incolas, sed *aequitate*, ne plus exigeretur, quam conferre possent. Ut quisque pro eo, quod habebat, conferret, hoc constituebant Britanni locis praepositi.

Quae in quaestum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur. Si discrimen inter *tributum* et *munus* tale est, quale modo feci, atque idem fecerunt Wexius et Kritzius, hic legi non potest *ipso tributo.* Nam Tacitus probat,

lire, circumcisis, quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. Namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumenta ac ludere pretio cogebantur; devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates, proximis hibernis in remota et avia deferrent, donec, quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret.

quod dixit, exactione frumenti, non exactione bonorum fortunarumque. Quare verba *ipso tributo* esse glossema iudico. Glossatores saepissime post comparativum addebant, quod intelligendum arbitrabantur.

Emere ultro frumenta ac ludere pretio cogebantur. Locus valde depravatus. Sententia, puto, requiritur haec: Imperatur civitati magna frumenti copia. Civitas non habet. Coguntur emere a Romanis, quibus abunde est in horreis publicis. Ea clausa tenent. Britanni assident, quasi mendicantes. Emunt magno pretio, quamquam norunt, sibi post emptionem parvo esse vendendum. Ita ludibrio habentur. Nam frumentum in hiberna portandum est a sua civitate maxime remota. Novi sumtus, nova difficultas. Ergo Romani parvo redimunt, quod magno pretio vendiderunt. Atque ita fere interpretes, quibus addatur annotatio Schwartzii ad Plinii Panegyr. 29. *Nonne cernere datur, ut sine ullius iniuria omnis usibus nostris annus exuberet? Quippe non ut ex hostico raptae perituraeque in horreis messes, nequidquam quiritantibus sociis auferuntur. Devehunt ipsi quod terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit; nec novis indictionibus pressi ad vetera tributa deficiunt. Emit fiscus, quidquid videtur emere; inde copia, inde annona, de qua inter licentem vendentemque conveniat.* Sed quid facies de *ludere pretio?* Puteolanus pro *ludere* edidit *vendere*, Gronovius *pretio* mutavit in *parvo.* Wexius coniicit *luere pretio*, et edidit, Kritzius coniicit et edidit *recludere pretio.* Feilitzsch. legit *accendere pretia.* Suam quisque coniecturam explicat. Ego adhuc non vidi melius quam *vendere parvo.* In *ultro* fortasse aliud latet, quod *parvo* opponeretur, v. c. *emere multo frumenta ac vendere parvo cogebantur.* Sed Latini dicunt *magno* et *parvo.* Exemplum, ubi *multo* sic ponitur, mihi non cognitum est, nisi in Vulgato N. T. Matth. XXVI. 9. πραθῆναι πολλοῦ, *venumdari multo. Pluris* quidem et *plurimo* sunt usitata.

Proximis hibernis in remota et avia deferrent. Puteolanus correxit *a proximis.* Tum, credo, Tacitus scripsisset *in remota a proximis hibernis et avia.* Per *remota* a proximis hibernis hiberna, explicatur *longinquitas regionum*, per *avia* explicantur *devortia itinerum.* Fortasse tamen a Tacito scriptum: *pro proximis hibernis*, pro eo, ut deferrent, ἀντὶ τοῦ κατάγειν. Tacit. Annal. XIV. 20. *Easque pugnas* (aestus) *pro militia et armis meditentur.* Ovid. Metam. IV. 414. *Tectaque pro silvis celebrant.* Sic in uno Mediceo, exquisitius, puto, quam quod in plerisque aliis: *tectaque non silvas celebrant.* Metam. X. 703. *pro thalamis celebrant silvas.* Wexius: „quamquam proxima erant hiberna. Bezzen-

XX. Haec primo statim anno comprimendo egregiam famam paci circumdedit, quae vel incuria vel intolerantia priorum haud minus quam bellum timebatur. Sed ubi ae-

berger et Halm frustra coniecerunt *pro proximis hibernis.*" Kritzius quoque per ablativum absolutum interpretatur.

Donec, quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret. Ita tandem frumentum, quod alioquin omnibus erat in promptu, paratu facillimum, atque adeo parvo emi poterat, paucis publicanis, qui consciis legato et procuratore coëmerant, non vendebatur, nisi magno flagellantium lucro. Atque ita fere et alii interpretantur. Wexius verba *quod omnibus in promptu erat* parenthesi inclusit et significare putat: „id, quod omnibus manifestum erat. Omnes enim persentiscebant et perspiciebant, istas vexationes istaque imperata id unum spectare, ut lucrum facerent Romani, excogitataque esse per avaritiam, ut pauci illi, qui rei frumentariae praeëssent, et cohortalini quaestum facerent." Putabam fraudem Romanam manifestam iam in eo apparere, quod Britanni *per ludibrium* clausis horreis assidere cogebantur. Feilitzsch. non assentitur, et explicat: „Collatio frumenti omnibus in promptu erat, scilicet, si recte ac legitime cum iis ageretur; nunc autem, cum secus ageretur, paucis lucrosa. Est conditionaliter dictum, omissa hypothesi, quippe quam subaudiri debere res ipsa monstraret." Idem usum istum imperfecti illustratum ostendit a Drakenb. ad Liv. XXXVIII. 2. et aliis. Kritzius de sua coniectura edidit *quod omnibus inprosperum erat.*

Haec primo statim anno comprimendo egregiam famam paci circumdedit. Sonus ingratus, qui non mollitur interposita voce *statim.* Fortasse et *comprimere* lenius verbum est de eo, qui statuit caussas bellorum *excidere*, radicitus exstirpare. Nec glossator bene retulit *haec* ad postremam tantum iniuriam istam, quae Britannis inferebatur per coactam emptionem et venditionem frumenti. Nam pertinet ad omnia, quae Agricola primo statim anno fecit, ut iniurias semel exscinderet: orsus est a se et domo sua, nihil per libertos servosque publice agebat, optimum quemque putabat fidissimum, erat iustus, severus, misericors. Quae quomodo *compressa* fuerint, dictu difficile, etiamsi contraria priorum legatorum exempla cogites. Coniicio: *Haec primo statim anno egregiam famam paci circumdederunt.* In Mss. saepe per siglas *circuded'ut.*

Vel incuria vel intolerantia priorum. Quid hic *intolerantia* significat, mihi non liquet. Vocem dividendam censeo, et legendum: *vel incuria vel in tolerantia,* i. e. vel *in incuria* vel *in tolerantia.* In priore membro cogitanda praepositio ex sequenti. Ovid. Art. Am. I. 333. *Qui Martem terra, Neptunum fugit in undis.* cf. Burm. *In tolerantia*, dum tolerabant, cum tolerarent, sim. Cicero Famil. I. 4. *Ego tibi a vi, in hac praesertim imbecillitate magistratuum, praestare nihil possum.* Utramque formulam loquendi iam in aliis huius libelli locus explicavimus. Nec sane sunt incognitae. *Incuria* est legati, talia non curantis, seu quia nesciat, quid et quantum ubique peccetur, seu, quamvis sciat, propter socordiam tamen coercere negligat, ipse delicti innocens, ut Vettius Bolanus cap. 16: *tolerantia* est legati, qui, sciens quid et quantum ubique peccetur, peccantes *tolerat;* hoc variis

stas advenit, contracto exercitu multum in agmine, laudare

caussis fieri potest, ut tolerare cogatur nimis potentes factos, atque adeo coercere non valeat, vel, coercere non audeat, quia v. c. rapax legatus, praedam cum procuratore dividens, hunc invitus *tolerat*, quia solus praedae inhiat, nec procuratori suo, avidius provinciam spolianti, obsistere possit. Interdum quoque legatus *tolerat* procuratorem, ut verosimile est Titianum proconsulem toleravisse Agricolam, de quo Tacit. cap. 6. *Sors quaesturae provinciam Asiam, proconsulem Titianum dedit; quorum neutro corruptus est, quamquam et provincia dives, et proconsul in omnem aviditatem pronus, quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali.* Confirmandae interpretationi apponam ex Agric. cap. 15. *Ut graviora, tamquam ex facili tolerantibus, imperentur.* Resistere poterant, et debebant. Annal. VI. 51. *Tiberius impudicitiam uxoris tolerans vel declinans.* Hist. I. 49. *Amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens, si mali forent, usque ad culpam ignarus.* Ita Histor. I. 24. vocat praefectum *socordem*, quem nota pariter atque occulta fallebant. Dio Cass. LXIV 2. de Galba: *εἰ καὶ ἔξω τοῦ τι δεινὸν ποιεῖν ὁ Γάλβας ἦν, ἀλλ' ὅτι ἐκείνοις ἀδικεῖν ἐπέτρεπεν, ἢ ὅτι ἠγνόει τὰ γινόμενα οὐ καλῶς ἤκουε.* Rivius et Rhenanus pro *intolerantia* legebant *tolerantia.*

Multum in agmine. Vatic. *multum* et *multu.* Puteol. *multum*, unde Rhenanus fecit *militum.* Praefero *multum* quia sententiae melius convenire arbitror. Agricola *multum erat* in agmine cum militibus, quos contraxerat. Milites variis modis exercebat, praesertim itineribus faciendis, atque hoste terrendo. Noverat, quam perniciosum esset otium disciplinae. *Multum est in agmine*, ut in formulis *multum est mecum, multum rebus gerendis interfuit.* In his *multum* non differt admodum ab *saepe.* Sed *multus in agmine* magis refertur ad animum. Quo animo esset Agricola, declaratur verbis *laudare modestiam, disiectos coercere, loca castris capere, praetentare aestuaria, hostes terrere.* Talis industria et assiduum ducis studium saepe adiectivo *multus* indicatur, et quasi intenditur, quamquam satis per se ipsa intelligerentur. Sallustius B. Iugurt. 45. loco simillimo omisit; loquitur de Metello, cuius exemplum, si non Agricola, at Tacitus ante oculos habuisse videtur: postquam Metellus adiumenta ignaviae edicto sustulerat, ceteris arte modum statuit: *praeterea transversis itineribus quotidie castra movere, iuxta, ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias crebras ponere, et ipse cum legatis circumire, item in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quispiam ordine egrederetur, uti cum signis frequentes incederent, miles cibum et arma portaret.* Ibi recte addi potuisset *multus in agmine*, non addi potuisset *multum*, quia iam dixerat Metellum quotidie castra movere, atque adeo *quotidie esse in agmine.* Sic *multus* in Tacito non desideratur, desideratur *saepe, quotidie, multum.* Ex Sallustio simul apparet, quid sit *in agmine.* Servius interpretatur *exercitum ambulantem* ad Virgil. Georg. III. 348. *et hosti Ante exspectatum positis stat in agmine castris.* ubi in Mnemos. Leidensi a. 1861. p. 257. emendandum putavi, *et hosti Ante exspectatum oppositis stant agmina castris.* De *multus* cf. Gronov. ad Liv. XXV. 18, et Duker. ad Florum IV. 2. Dixi

modestiam, disiectos coercere; loca castris ipse capere, aestuaria ac silvas ipse praetentare; et nihil interim apud hostes quietum pati, quominus subitis excursibus popularetur; atque ubi satis terruerat, parcendo rursus invitamenta pacis

quaedam ad Horat. Carm. p. 277, et supra ad Agric. cap. 10. Adde Burm. ad Gratii Cyneg. 30, et 493. et Valer. Flacc. VI. 223. *Semidea genetrice Tages; cui plurima silvis. Pervigilat materna soror, cultusque laborat*, quod recte interpretatur: „assidue et diligenter operi invigilabat." De Graeco *πολὺς* et alii, et Valcken. diligenter ad Eurip. Hippol. 443. *Κύπρις γὰρ οὐ φορητὸς ἢν πολλὴ ῥυῇ*, quod Horatius Carm. I. 19. reddendum putavit *In me tota ruens Venus* non *multa*. Ennius contra apud Ciceron. de Divinat. I. 20. *Quamquam multa manus ad coeli coerula templa Tendebam lacrimans, et blanda voce vocabam*, melius expressit Callimacheum H. Dian. 27. *πολλὴ δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας*, ut Ruhnk. Epist. Crit. II. p. 142 emendavit pro *πολλάς*. Agnosco iudicium poetarum. Fortasse hinc corrigi potest versus Theocriti Eidyll. XXVIII. 11. *Ἦ ῥά τις ἐσσὶ λίαν βαρυγούνατος; ἦ ῥα φίλυπνος; Ἦ ῥα πολύν τιν' ἔπινες;* Cobetus in Mnemos. vol. X. p. 357. legebat: *ἦ πολὺν οἶνον ἔπινες;* Mihi in mentem venerat: *ἦ ῥα πολύς τιν' ἔπινες; multus aliquem bibisti!* Mos amicam bibendi, notus. Theocrit. Eidyll. XIV. 18. Martial. I. 72. *Naevia sex cyathis, septem Iustina bibatur.* Saepe plura nomina, saepe idem plus semel bibebant, avide igitur, cupide, *multi* bibebant.

Loca castris ipse capere. Non metatoribus aut praefectis castrorum relinquebat. In loco castris capiendo magna laus ducis cernebatur: cf. Schelium ad Hygin. de Castramet. p. 132. Spartianus laudat Adrianum Caesarem c. 10. *locum castris capientem.* Omnia ista, ibi de Adriano narrata, comparari cum h. l. Taciti merentur.

Apud hostes quietum pati. Apparet studium imitandi Sallustii B. Iug. 86. *Sed Marius impigre prudenterque suorum et hostium res pariter attendere, cognoscere quid boni utrisque aut contra esset, explorare itinera regum, consilia et insidias antevertere; nihil apud se remissum, neque apud illos tutum pati.*

Quominus subitis excursibus popularetur. In Vatic. *Δ popularet.* Hoc credo, est *popularent.* Fortasse *popularentur.* De verbo activo *populare* interpr. ad Caesar B. G. VII. 77. Serv. ad Aen. IV. 403. *Acervos cum populant.* „antique dixit: nam hoc verbum apud veteres activum fuit, nunc tantum deponens est." Plura ibi Burm.

Invitamenta pacis ostentare. In Vatic. *irritamenta.* Acidalius emendavit. *Irritare* est cupiditatem vehementiorem movere, *invitare*, leniorem. Sententia loci plerumque ostendit, meliusne sit legi *irritamenta* an *invitamenta*. Agricola Britannos subitis excursibus populabatur: ubi satis terruerat, eorumque iram amplius irritare nolebat populando, rursus parcendo invitabat ad pacem. *Terrere* excursionibus et populando, oppositum habet, invitare ad pacem parcendo. Ex tali terrore, vi et armis iniecto, Britanni ostentata victoris clementia, magis *invitantur*, quam *irritantur* ad cupiditatem pacis. Natura oppositi clarius cernitur in exemplo, quod est apud Iustin. XXXI. 7. Antiochus legatos pacem petentes mise-

ostentare. Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus, iram posuere, et praesidiis castellisque circumdatae, et tanta ratione curaque ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transierit.

XXI. Sequens hiems, saluberrimis consiliis absumpta. Nam-

rat. Romani duras leges dicebant. Antiochus nondum ita se esse victum, respondit, *ut spoliari se regno pateretur, bellique ea irritamenta, non pacis blandimenta esse.* Librarii saepissime *irritare* et *invitare* permiscuerunt. cf. Heins. ad Ovid. Amor. II. IV. 9. et Burm. ad Vell. Paterc. III. 67. Wexius: „si quaeritur, num recte dicatur *irritari* ad aliquam rem, nihil omnino refert, utrum bona sit res illa, an mala, sed num alio nomine istae notiones congruant. Irritamur autem ad agendum, et ad quamvis virium exercitationem, non ad *quietem* et *pacem*, ad quam *invitamur*." Kritzius servavit *irritamenta*, et explicat: „ea quae acrem pacis cupiditatem iniiciunt; *invitamenta*, quae leniter impellunt, ac suavitate sua alliciunt."

Quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus, iram posuere. Qui ex aequo agunt, hi Romanis non parent, neque tamen necessario iis irati sunt. Amici potius esse et manere student, si non lacescantur. Sed iidem semper in armis sunt, ut libertatem, si lacessantur, defendant. Cogitant illud: si vis pacem, para bellum. Legendum puto: *arma posuere.* Liv. VIII 4. *Si etiam nunc sub umbra foederis aequi servitutem pati possumus, quid abest, quin, proditis, Sidicinis, non Romanorum solum, sed Samnitium quoque dicto pareamus, respondeamusque Romanis, nos, ubi innuerint, posituros arma?* Dronkius *iram* defendit, interpretans *ferociam.*

Ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transierit. Sententia quid postulet, tam facile dictu est, quam difficile interpretari verba, quibus eam investitam legimus. Olim conieceram *aeque* pro *ante.* Nunc simplicissimum puto: *Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, arma posuere; et praesidiis castellisque circumdatae, tanta ratione curaque ut nulla ante Britanniae nova pars, illacessitae transierunt.* Civitates primum obsides dedere, arma posuere, eo significantes se cum Romanis in amicitia velle degere. Ita iam fere censeri poterant nova pars provinciae Romanae. Sed Agricola, quo securior esset, nec Britannos serius ocius consilii poeniteret, tanta ratione et cura eos praesidiis castellisque circumdedit, quanta ratione curaque nulla ante nova pars Britanniae ab ullo praefecto circumdata fuit. Sic brevi post transierunt, bello et armis non lacessitae, sine vi, sponte, permotae moderatis et prudentibus consiliis Agricolae. *Transierunt* in ditionem Romanam: attigit Cort. ad Lucan. VII. 647. *Iam Magnus transisse Deos Romanaque fata Senserat infelix.* Agricola autem omnes priores superabat arte legendi opportunitates locorum ponendique castella. Tacitus ex iudicio peritorum mox laudat. Wexius e coniectura edidit: *et tanta ratione curaraque, ut nulla ante Britanniae nova pars, illa illacessita transierit.* i. e. quod nulli ante Britanniae parti contigerat, illa illacessita transierit; *ὥστε οὐδεμία μὲν ἄλλη πρότερον, ἐκείνη*

que ut homines dispersi ac rudes eoque in bella faciles quieti et otio per voluptates assuescerent, hortari privatim, adiuvare publice, ut templa, fora, domos exstruerent, laudando promptos et castigando segnes. Ita honoris aemulatio pro necessitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut, qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Inde etiam habitus nostri honor,

it. Kritzius de sua coniectura edidit: *et tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars. Illacessita transiit sequens hiems, saluberrimis consiliis absumpta.* In quo *ut* positum pro *quanta*, sc. *ratione curaque.* Si Tacitus hoc voluisset, scripsisset, credo: *sequens hiems illacessita transiit.*

Eoque in bella faciles. Vatic. *in bello* Rhenanus et Lipsius *bello faciles;* Bosius *in bella.* Omne illud dicitur *facile*, quod flectenti non resistit, flexibile, ut v. c. *ulmus* apud Virgil. Georg. I. 169. *flectitur in burim.* Hinc ad alia transfertur. Ovid. Art. Amator. I. 592. *Nimium faciles ad fera bella manus.* Lucan. IV. 506. *faciles animos morti*, qui sine labore eo ducuntur, ut mortem subeant. Faciles *in bello* sunt non duri, non crudeles, non superbi victores; quod sententiae non convenit, ut neque aliorum interpretatio *prompti.* Wexius quoque edidit *in bella* ut *pronus, promptus, paratus in aliquid*, ita putat dictum videri *facilis in aliquid.* Kritzius *bello* praefert, quia in generali oppositione *bellum* melius respondet *quieti* et *otio* quam *bella.*

Laudare promptos. Tacit. Hist. II. 82. *Ipse Vespasianus adire, hortari, bonos laude, segnes exemplo, incitare saepius quam coercere.*

Ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre. Agricola Gallos iam in urbe Massiliae et in Aquitania cognoverat, Britannos et antea, nunc praesertim cognovit. Idem, puto, discrimen in populi utriusque indole observavit, quod deinde fuit, in Britannis quoque accessione Anglo-saxonum magis confirmatum quam mutatum est. Spectabat Agricola, quod auctor Dial. de Orat. 2. de Apro oratore dicit; *qui ingenio potius et vi naturae quam institutione et literis famam erat consecutus. Ingenio* magis proprius est placidus amor, quo quis artes liberales prosequitur, *studio* magis fervidus ardor; ingenium rem propositam maturat, studium properat. Tacitus, ni fallor, narrat, quid Agricola tunc iudicaverit. Kritzius putat Agricolam verbis istis Britannos laudasse, quo magis eos ad artes liberales amandas et tractandas incenderet. Wexius *iudicare* et *iudicium pronuntiare* coniungit. Agricola erudiendos curabat filios principum Britannorum. Mirum mihi videtur, si eos, propter ingenium coram laudatos praetulisset Gallis, quorum nomen fortasse ne fando quidem audiverant. Tungri quidem non erant Galli quos Agricola cogitabat.

Ut, qui modo linguam Romanam abnuebant. Quum Britanni, iudice Agricola, maiore ingenii praestantia essent praediti, linguam Romanam cito amabant, contra ac Galli, qui praeferebant Graecam, et propter Massiliam et quia melius conveniebat suae natu-

et frequens toga, paulatimque discessum ad delenimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam; idque apud imperitos humanitas vocabatur, quum pars servitutis esset.

rae. Veteres Romani, ut plerique populi victores, nostra quoque memoria, intelligebant, quanta vis esset linguae ad propagandos imperii limites. Contemptus et oblivio sermonis patrii est pars servitutis. Augustin. de Civ. Dei XIX. 7. *Data est opera, ut imperiosa civitas non solum iugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret, per quam non deesset, imo et abundaret etiam interpretum copia.* Claudius, ut narrat Sueton. c. 16, *splendidum virum, Graeciaeque provinciae principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo iudicum erasit, sed in peregrinitatem redegit.* Exemplum Francorum neminem latuit. Iam Hugo Grotius Epist. 519. *Cardinalis Riceliacus in Urbe et Academia sui nominis artes et scientias omnes vult docere sermone Gallico, ac sic eius sermonis non minus quam imperii prolatare fines.* Ergo Voltarius a. 1752, Correspond. Générale T. III. p. 534, dicere potuit: „Je suis toujours émerveillé des progrès, que notre langue a faits dans les pays étrangers; on est en France de quelque coté que l'on se tourne. Vous avez acquis, Messieurs, la Monarchie universelle qu'on reprochait à Louis XIV, et qu'il était bien loin d'avoir." Eadem erat ars Agricolae. Primum filios principum erudiebat, linguae amorem non obtrudit; cetera sponte secutura putans, ut secuta sunt. Ernestus pro *abnuebant* coniecerat *abnuerant*, et *abnuerent*, vulgatum tamen quoque rectum esse agnoscit. Et est: *modo abnuebant*, quum legatus fortasse eos linguam addiscere cogeret. Sententia nimirum modos et tempora verborum indicat. Ita v. c. apud Liv. V. 27. *Tanta mutatio animis est iniecta, ut, qui modo efferati odio iraque Veientium exitum paene quam Capenatium pacem mallent, apud eos pacem universa posceret civitas.* nemo *mallent* emendaverit in *maluissent* vel *maluerint.*

Paulatimque discessum ad delenimenta vitiorum. Pichena legit *descensum.* Tacitus vituperat Britannos imperitos, qui *humanitatem* vocarent, quae pars esset servitutis. Quod linguam et habitum Romanum imitarentur, ignosci poterat, modo non paulatim vitia quoque essent imitati. Porticus, balnea, conviviorum elegantia sunt testimonia luxus. Culpat simul populares suos, et Britannos eorum luxum sequentes. In *descensum* est notio turpitudinis; descenditur a loco superiore ad inferiorem, a meliore ad peiorem. Illustravi ad Horatii Carm. p. 303. *descendere, decidere, delabi.* Si Britanni dicuntur *discessisse ad vitia*, discesserunt a rebus, quas ante sequebantur: *discesserunt* igitur ab artibus liberalibus, a studio linguae, ab usu vestitus, ab aedificando. Omnia ista deseruerunt. Si dicuntur *descendisse ad vitia*, cultum vitae meliorem deseruisse haud necesse erat, hunc cum vitiis coniungere potuerunt. Wexius: „In vocula *dis* hoc loco nihil inest, nisi quod a virtutis via aberrarent." tum laudat Ciceronis *a virtute, a fide iustitiaque discedere.* Kritz. „a patria simplicitate et virtute." Recte credo, si illa *virtus* antea esset memorata.

Porticus et balnea et conviviorum elegantiam. Quantum mutati ab illis,

XXII. Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Tanaum, aestuario nomen est, nationibus. Qua formidine territi hostes quamquam conflictatum saevis

quos alloquitur Baudovica apud Dion. Cass. LXII. 6. Regina Romanos propter usum balneorum et elegantiam conviviorum ne viros quidem putabat: *εἴ γε καὶ ἄνδρας χρὴ καλεῖν ἀνθρώπους ὕδατι θερμῷ λουομένους, ὄψα σκευαστὰ ἐσθίοντας, οἶνον ἄκρατον πίνοντας, μύρῳ ἀλειφομένους.* Alia erat ratio Germanorum, quos Tacitus in Germ. 22 scribit saepius calida lavari, ut *apud quos plurimum hiems occupat.* Eadem vero delenimenta vitiorum postea in castris Romanis apparebant. Adrianus imperator, teste Aelio Spartiano cap. 10, *Triclinia de castris et porticus et cryptas et topia diruit.* Aelius Lampridius in Vita Alexandri Severi, dicentis: *milites Romani amant, potant, lavant, Graecorum more etiam quidam se instituunt.*

Quum pars servitutis esset. Lipsius ad unam editionum suarum, quales esse in Bibliotheca Academiae nostrae memini, annotavit *ars.* Coniecturam, quantum sciam, non edidit. Amplius cogitanti non placuisse videtur. Et *pars* aptior sententiae est. *Ars servitutis* significat *artem*, qua Romani utebantur, ut populos per humanitatem quoque servitio assuefacerent, qua arte servitus, quasi ipsa dominatio, eos decipiebat. Sed *humanitas*, callide per *artem* inducta et accepta, efficiebat partem servitutis. Virgil. Aen. II. 5. *Quaeque ipse miserrima vidi, Et quorum pars magna fui.* Tacit. Agric. 45. *Praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et adspici.* Orosius V. 1. *Pars miseriarum est, audire, quid fuerit.* Conf. Markl. ad Statii Silv. I. v. epistola ad Abascantium. Tacitus autem huiusmodi *artes* non probasse videtur. Britannos saltem deceptos esse agnoscit, *imperitos*, qui putaverint esse humanitatem, quae esset revera pars servitutis. Wexius: „Cave ne Tacitum putes Agricolae id vitio vertere voluisse, quod reipublicae Romanae rationes flagitarent. Similiter Hist. IV. 60. Germanorum legatum dicentem facit: *instituta cultumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subiectos quam armis valent.*" Agricola, credo, publice agebat, quod privatim non egisset.

Tertius expeditionum annus. Wexius putat hic *annum* dici, non *aestatem*, quia bellum hoc anno etiam per hiemem gestum sit. Potius crediderim Tacitum fecisse ad orationem variandam. Ipse Agricola, vastatis usque ad Taum nationibus, expeditionem anni tertii finivit. Ante hiemem castella posuit, ea annuis copiis firmavit, inde fiebant eruptiones. Porro sibi quisque erat praesidio. Agricola non aderat, sed hiemem alibi cum exercitu transigebat. Tacitus et in cap. 24 scripsit *quinto expeditionum anno.* Neque ibi memoratur bellum hieme continuatum.

Novas gentes aperuit. Antea quasi clausas, iam patentes, ideoque cognitas. Tacitus German. 1. *Cognitis quibusdam gentibus, ac regibus, quos bellum aperuit.* ubi plura interpretes, et Cort. ad Lucan. I. 465.

Vastatis usque ad Tanaum - nationibus. Oudendorp. ad Frontin. Strateg. I. 6. *vastare hostem* vocabat raram locutionem. Tacitus utitur et alibi, et Hist. II. 88. Seneca Epist. 113. Claudian. de B. Getico, 540. *Ipsi, quos omnibus annis Vastabam, servire dati.*

tempestatibus exercitum lacessere non ausi; ponendisque insuper castellis spatium fuit. Annotabant periti non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse. Nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut pactione ac fuga desertum; crebrae eruptiones; nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. Ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque praesidio, irritis hostibus eoque

Livius XXXV. 14. *Pelignos devastat. Tanaum* legitur in Vatic. at in margine unius *Taum.* De loco Tanai vel Tai, non consentiunt. Nomen *Tai* fortasse verius est et *Tanai* a glossatoribus mutatum ad similitudinem magis noti *Tanais.* In nominibus huiusmodi fluminum plerumque est vocalis, quae *aquam*, *vadum* significat. Vocalis ab initio augetur articulis praepositivis, *t*, *ter*, *der*, in fine adduntur terminationes, *ne*, *se*, nihil nisi terminationes. Romani ista variis modis suae linguae accommodabant. Ita ex *Te ame*, *Te amese*, *Ame*, *Amese*, sim. fecerunt *Tamesis*, *Tamisa*, *Amisia*, *Amasius*, nobis *Theems*, *Eems.* In *Taus* pari modo regnat *a*, nota litera in *Aha.* Eadem nominis ratio in *Tagus.*

Opportunitates locorum sapientius legisse. Hannibal laudabat Pyrrhum regem, apud Liv. XXXV. 14. *quem primum docuisse castra metari. Ad hoc neminem elegantius loca cepisse.*

Crebrae eruptiones. Haec a librariis suo loco mota esse suspicor. Meliorem ordinem puto: *nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut pactione ac fuga desertum; nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. Ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque praesidio. Crebrae eruptiones, irritis hostibus* sq. Cf. Vell. Paterc. II. 111. *Qua prudentia hiberna disposita sunt? quanto opere inclusus custodiis exercitus noster, ne qua posset erumpere, inopsque copiarum, et intra se furens, viribus hostis elangueesceret?* Ubi et *copiae* de *annona* accipiuntur, ut hic apud Tacitum accipiendae, non de militibus. Livius in numero singulari XXV 20. *In ea duo maritima castella frumentum convectum est, ut exercitui per hiemem copia esset.* Wexius *crebrae eruptiones* uncis inclusit, quia sententiarum nexum misere conturbant ac prorsus subvertunt, his autem omissis omnia egregie et rite procedunt. Feilitzschius laudat coniecturam unius ex discipulis suis: *Ita intrepida ibi hiems; crebrae eruptiones et sibi quisque praesidio.* „Eruptiones non solum qui obsidentur facere dicuntur, sed quicunque e suis castris aut castellis in hostium fines incurrunt. cf. Caesar B. G. VII. 2."

Sibi quisque praesidio. Sibi quodque castellum, qui in castello erant, praesidio; nec erat, cur auxilium ab altero castello peterent. Sententia varie ab aliis expressa. Sallust. B. I. 60. *Ubi quisque legatus aut tribunus curabat, eo acerrume niti; neque alius in alio magis, quam in sese spem habere.* Virg. Aen. XI. 308. *Spem si quam adscitis Aetolum habuistis in armis, Ponite: spes sibi quisque.* Liv. IX. 23. *Nullam alibi, quam in semet ipso cuiquam relictam spem.* XXXIV. 28. *Quum in se cuique minimum fiduciae esset.*

Irritis hostibus. Frustra sperantibus

desperantibus, quia, soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare, tum aestate atque hieme iuxta pellebantur. Nec Agricola unquam per alios gesta avidus intercepit; seu centurio seu praefectus, incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur; ut erat comis bonis, ita adversus malos iniucundus. Ceterum

fore ut, pro more solito, damna aestatis hibernis eventibus pensarent: de *irritus* Cortius ad Lucan. IV. 47, Taciti quoque memor.

Nec Agricola unquam per alios gesta avidus intercepit. Sic hostes hiberno etiam tempore vincebantur. In victoriis istis sua cuique laus constabat. Agricola nullius laudem intercepit, mala arte sibi vindicavit. Erat aliorum *laudator et testis*, ut in simili re dicit Plinius in Panegyr. 15. Sed quid *avidus intercepit?* Hoc Latine significat *avide intercepit*, cupide, vehementi studio intercepit. Adiectiva centies pro adverbiis ponuntur. Tum, credo, *intercepit* sufficiebat, praesertim cum negativo coniunctum. Quod interpretantur, ut Ernestus, *avidus* additum *ποιητικώτερον*, idque esse, *per aviditatem laudis et gloriae*, hoc puto, non est Latinum. In uno Vatic. legitur *avidius*, quod ad coniecturam ducit: *Nec Agricola unquam per alios gesta invidia intercepit.* Hoc sententiae et Latinitati convenit. Notae sunt formulae, *intercipere dolo, arte, veneno*, sim. et *per invidiam*, ut Tacit. Annal. II. 26. *Quamquam fingi ea, seque per invidiam parto iam decore abstrahi intelligeret.* Wexius: "i. e. avidus ὢν intercepit. *Aviditatem* intellige laudis et gloriae, *avidus* absolute dictum." In nullo exemplo *avidus* sic absolute ponitur, ut *nec unquam avidus intercepit.* Est fere: intercepit quidem, *sed nunquam avide.* Tacitus saltem addidisset v. c. *nec unquam, quod multi fecerunt, avidus intercepit.*

Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur. Non perspicio, quomodo haec et quae usque ad finem huius capitis leguntur, recte cum antecedentibus connecti possint. Posita in medio capite 19 in suam sedem reducta esse putes. Ibi certe tam aptam sententiam habent, quam hic ineptam: *Officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere, quam damnare, quum peccassent. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur; honestius putabat offendere, quam odisse.*

Ut erat comis bonis, ita adversus malos iniucundus. Rhenanus *erat* omisit. Et hoc melius, si verba sunt eorum, a quibus Agricola talis fuisse narrabatur. Sed est potius iudicium Taciti de eo quod narrabatur, ut apparet ex sq. *ceterum ex iracundia nihil supererat.* Legendum credo: *et, ut erat comis bonis, ita adversus malos iniucundus.* Hoc quidam narrabant, dicebant; et, fatendum enim est, negari non potest, Agricola non erat iucundus adversus malos, tam iniucundus fortasse, quam comis bonis. Sed nihil ex iracundia remanebat in mente repositum. Tacitus agnoscit, excusat, imo vituperium narrantium in laudem Agricolae interpretatur. Per *et* incipitur assensus et confirmatio rei antecedentis cap. 10. *Et est ea facies.* 41. *Et ea insecuta sunt tempora.* ubi plura interpretes. Ceterum ad intelligendum illud *iniucundus* egregie facit locus Ciceronis Epist. ad Q. Fratrem I. 1. 13. qui summo cum imperio in Asia erat: *Sic ad nos omnes fere deferunt:*

ex iracundia nihil supererat, secretum ut silentium eius non timeres; honestius putabat offendere quam odisse.

XXIII. Quarta aestas obtinendis, quae percucurrerat, insumpta, ac, si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus. Namque Clota et Bodotria, diversi maris aestibus per immensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur, quod tum praesidiis firmabatur; atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

XXIV. Quinto expeditionum anno nave prima transgres-

nihil, cum absit iracundia, dicere solent, te fieri posse iucundius; sed cum te alicuius improbitas perversitasque commoverit, sic te animo concitari, ut ab omnibus tua desideretur humanitas.

Secretum ut silentium eius non timeres. Sic in Vatic. Puteolanus correxit: *secretum et silentium.* Halmius coniicit *vel silentium.* Doederlinus distinguit: *nihil supererat secretum, ut silentium eius non timeres.* Ita edidit Kritzius. Wexius sequitur Mss. et interpretatur, *ita ut non timeres secretum silentium eius, κρυφαίαν τινὰ αὐτοῦ σιγήν.* recte insuper monet, Agricolam non siluisse, et Tacitum praeterea potius dicturum fuisse *silentium et secretum,* addita enim voce *secretum* explicatum fore, quale silentium cogitandum esset. Ego omnia ex glossa profecta esse suspicor. Verba Taciti *ex iracundia nihil supererat, et honestius putabat offendere quam odisse* satis ostendunt, quam parum istud additamentum significet. Glossator finxit interpretationem ex cap. 39, ubi Domitianus *secreto* suo satiatus - *odium reposuit.* Et notum erat illud Tiberii *silentium.*

Inventus in ipsa Britannia terminus. Acute magis et pro more Taciti: *inventus ipsa Britannia terminus.* Ita cap. 37. *Finis sequendi nox et satietas fuit.* Annal. II. 21. *Solam internecionem gentis bello finem fore.* Horat. Satir. I. v. 104. *Brundisium longae finis chartaeque viaeque.* Curtius IV. 11. *Utriusque terminos regni id quemque habiturum, quod proximae lucis fortuna assignatura est.* Ipsa Britannia esse potuisset terminus. Agricola in finibus potuisset subsistere nec transiisse in aliam velut insulam, Caledoniam, in ipso Britanniae fine expeditiones terminare; si virtus exercituum suorum et Romani nominis gloria paterentur. Sed non patiebantur: suae gloriae satisfecerat, nondum ut putabat, gloriae Romani nominis. In *gloria* ista est sententia generalis.

Nave prima transgressus. Haec ferenda non sunt. Nam neque tum primum ibi conspecta est navis, neque Agricola habebat, qui anno demum sequenti *classem assumserit,* neque adeo opus erat *nave.* Iter enim terra patebat, quia spatium angustum inter Britanniam et Caledoniam praesidiis firmaverant. *Nave prima* posset explicari, si Agricola diceretur *primus* sua nave, ceteris sequentibus, transgressus: ut scribit v. c. Hirtius de B. Alex. 15. *Si haec vada primis navibus intraveris;* et *ultima* navis apud Ovid. Heroid. XIII. 97. *Inter mille*

sus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit, eamque partem Britanniae, quae Hiberniam aspicit, copiis instruxit in spem magis quam ob formidinem, si quidem Hi-

rates tua sit millesima puppis. Iamque fatigatas ultima verset aquas. Sed neque talis interpretatio huc facit. Beckerus legebat: *vere primo.* Minus credibile est Tacitum ita scripsisse. Agricola in Britanniam venit media *aestate.* Anni, quos ibi degit, porro notantur per *aestates:* ubi *aestas advenit, quarta aestas, aestate qua sextum officii annum inchoabat:* bis per *annum*, ut *tertius expeditionum annus*, *quinto expeditionum anno.* Praeterea *aestas* vulgo sola bello gerendo idonea habebatur, adeo ut *aestas* ipsa pro *expeditione* sumatur. cf. Cort. ad Ciceron. Epist. ad Fam. III. 9. Vell. Paterc. II. 47. *Novem aestatibus vix ulla non iustissimus triumphus emeritus.* Quare Beckeri *vere primo* pertineret ad finem anni quinti, non initium sexti. Ego legebam *aestate prima,* i. e. ineunte aestate, *initio aestatis*, ut cap. 29. Wexius legit: *navi in proxima transgressis; navi*, quia Latini, ubi non de navigio aliquo, sed de navigando agitur, scripsisse videntur *navi*, non *nave*; praeterea putat Beckerum et me non esse recordatos pro *vere primo*, *aestate prima* certe dicendum fuisse *primo vere*, *prima aestate.* Sciebam veteres, de initio temporis loquentes, scribere *prima aestate*, idque ad distinguendam, puto, ab *aestate prima, secunda, tertia.* Sed, ut humanissime admonuit, non recordabar. Alioquin secutus fuissem usum vulgarem, et coniecissem: *prima aestate.* Constans et perpetuus tamen usus fuisse non videtur. Ipse Wexius ex Livio affert XXI. 21. ubi de eadem re tum *primo vere* tum *vere primo*, et XXI. 5. *vere primo.* Wexius utrumque mutat in *primo vere.* Nota sunt illa *prima luce*, *cum prima luce*; at Liv. IX. 36. *Postero die, luce prima.* Neque Kritzium offendisse dicas, interpretatum: „*nave prima*, quae hieme transacta navigationem rursus aperit. Quare, quum his verbis tempus significatur, quo navigatio incipit, quemadmodum apud Horat. Epist. I. 7. 13. *cum hirundine prima*, sensus est: ubi primum per anni tempestatem navigari potuit." Esset adeo *nave prima*, quod *prima navigatione* apud Ciceronem Epist. ad Q. Fratrem II. 6. *Tuas mirifice literas exspecto: atque adhuc clausum mare fuisse scio; sed quosdam venisse tamen Olbia dicebant. Eosdem aiebant nuntiare te prima navigatione transmissurum.* Obstat interpretationi Kritzianae, quod *prima navigatio* diu ante tempus aperta est, quo Agricola novum expeditionum annum incipiebat. Bootius legebat: *nave primum transgressus*, i. e. priorem, Clotam, et laudat Matthiaeum ad Cicer. Orat. pro Sextio XIX. 44. Tutius tamen arbitror sequi vulgarem consuetudinem, et legere *prima aestate.* Elegans est Wexianum *in proxima*, hoc cum *prima* saepe confunditur. Animadvertit iam Gronov. ad Liv. II. 33. Fieri quoque potest, ut *nave* sit glossa, et *prima* corruptum ex *Briania* i. e. Britannia. Recte saltem diceretur *transgressus Britanniam*, quam alii statuissent terminum expeditionum.

Si quidem Hibernia, medio inter Britanniam atque Hispaniam sita. Nondum intelligo, quid ista significent. Broterius et Ernestus pauca attulerunt ad obscuritatem discutiendam. Ille: „Hibernia, ita in medio sita,

bernia medio inter Britanniam atque Hispaniam sita et Gallico quoque mari opportuna valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit. Spatium eius, si Britanniae comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. Solum coelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differt in melius; aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione do-

valentissimam imperii partem, Hispaniam scilicet, Galliam et Britanniam magnis invicem usibus per commercia coniunxit. Hac aetate, qua rudis adhuc erat res nautica, iis commerciis opportunissima erat Hibernia." Ernestus, post Pichenam, docet, *media* saepe dici interiecta quaevis, non semper aequo spatio distantia, et omnino *medio* per pleonasmum addi. Sed Tacitus, credo, non amat pleonasmos. Nec *Britannia* tunc erat una ex validissimis imperii partibus. Has efficiebant Gallia et Hispania. Hist. III. 53. *Gallias Hispaniasque, validissimam terrarum partem.* Deinde Hibernia non sita est medio inter Britanniam et Hispaniam, ne tum quidem, quum *medio* accipias vel sensu pleonastico. Eiice. Quid lucramur? Veteres quidem in ponendo regionum situ saepe erraverunt. Tacitus sic errare non potuit, qui non ex scriptis aliorum loquatur, sed, quasi ipse interfuerit, narrat, partem Britanniae, quae Hiberniam adspicit, ab Agricola copiis fuisse instructam. Coniicio: *Siquidem Britannia, medio inter Hiberniam atque Hispaniam sita, et Gallico quoque mari opportuna,* sq. Agricola illum Britanniae partem, quae contra Hiberniam est, copiis instruxit, haud ita timens, ne Hiberni Britannos infestarent, quam ipse sperans, ut Hiberniam per occasionem imperio Romano adderet. Sic Britannia, ab ista quoque parte plane tuta et secura, sita inter Hiberniam et Hispaniam, vicina quoque Galliae, sedes poterat fieri magnae mercaturae; cum Hibernia, in unum imperium coniuncta, poterat Hispaniam et Galliam magnis invicem usibus miscere, et ipsa validam imperii Romani partem efficere. Britannia, ut maxima insularum, quas Romani noverant, quasi dux praeesse debebat communi cuidam mercaturae, quae Hiberniam Hispaniam et Galliam, hoc vinculo copulatam, faceret quasi unam regionem, maximum robur imperii. Diceres Agricolam praevidisse, Britanniam in Europa posse fieri, quod deinde facta est. Huc iam pertinet, quod dixit Eumenius Panegyr. Constantio Caesari 18. *Itaque hac victoria vestra non Britannia solum servitute est liberata, sed omnibus nationibus securitas restituta, quae maritimo usu tantum in bello adire periculi poterant, quantum in pace commodi consequuntur. Nunc secura est, ut de latere Gallico taceam, quamvis paene conspicuis litoribus Hispania, nunc Italia.*

Nostri maris insulas. Mediterranei. Pompon. Mela III. 1. *Dicta est ora nostri maris, dictae insulae, quas amplectitur.* cf. Davis. ad Caesar. de B. G. V. 1. et Cort. ad Sallust. B. Iug. 18.

Haud multum a Britannia differt in melius. Vatic. *a Britannia differt. In melius aditus* sq. Hinc alii aliud:

mestica unum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiae in occasionem retinebat. Saepe ex eo audivi, legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam

differunt. Melius aditus: *differt; eius aditus: nec in melius.* Fortasse legendum: *Haud multum a Britannia differt, sed in melius.* Non multum quidem differt, sed in quo differt, hoc melius est, discrimen illud exiguum est in partem meliorem. Quod ad ingenia cultumque hominum attinet, ex Strabone et Pomponio Mela efficeres contrarium. Sed Agricola, et ex eo Tacitus, Hiberniam paulo accuratius cognoverant. Atque haec narrantur multis annis post Strabonem et Melam. Aditus portusque Hiberniae per mercatores cogniti. Hoc iam humanitatem quandam, praesertim in oris maritimis, ostendit. Certior profecto hic fides, ubi Agricola secum haberet regulum, quem specie amicitiae in occasionem retinebat. Etiamsi fortasse regulus conditionem insulae aliquantum ornaverit, quo magis Agricolam, ipsum iam volentem, ad insulam occupandam incitaret, magis hic quaeritur, quid Agricola crediderit et Tacitus scripserit. Cupiditas ducis Romani potiundae Hiberniae in omni oratione elucet. Privatam in eo laudem et publicam utilitatem agi putabat. Quod ad foecunditatem soli attinet, Pomp. Mela pascua Hiberniae valde laudat, sed *coelum ad maturanda semina iniquum dicit.* Idem Tacitus de Britannia, *fruges in ea tarde mitescere.* Recentiores autem, Isidorus et Orosius universe foecunditatem memorant. Orosius I. 3. *Haec propior Britanniae, spatio terrarum angustior, sed coeli solique temperie magis utilis.* Dronkius verba *in melius*, ut glossema, delenda censet. Delet quoque Wexius. Kritzius interpretatur: "haec omnia fere paria, sed tamen paulo meliora." Tum credo, rectius esset: *haud multum in melius differt.*

Saepe ex eo audivi. Bipontini ediderunt *audivit.* Hoc mihi aliquando valde placebat. Regulus id scire poterat, Agricola non poterat, nisi ex eo regulo *audivisset.* Hic Agricolam hortatus: novi Hiberniam, dicebat, una legione et modicis auxiliis, in quibus mea tibi polliceor contra inimicos, totam insulam potes debellare et obtinere: hoc simul tibi proderit contra Britanniam. Tali opinioni, iudice Kritzio, "et ipsa repugnat sententia, supra fidem servilis et vel abiectissimo mancipio indigna." Historia, ni fallor, docet, semper fuisse talia mancipia, qui vi armorum peregrinorum sperabant se restitutum iri in regnum, unde erant expulsi. In vetere historia ostendo exemplum Tarquiniorum apud Porsenam. Exemplis nostrae memoriae abstineo, eorum, qui in turba salutantium in porticu Napoleonis I Erfordiae morabantur, et vix tandem admissi orabant, ut vel damno suorum restituerentur. Fortasse regulus Hibernus in *modicis auxiliis*, suorum quoque amicorum in Hibernia pollicebatur. Ratio quidem Grammatica, quam Kritzius obstare putat, quominus *ex eo* accipiatur *ex regulo*, me non offenderet, neque cum aliis mutarem in *illo* vel *quo.* Agricola est subiectum, et manet subiectum; *ex eo audivit*, nihil in ea re mutat. Verum enim vero, si regulus recte Agricolae affirmare potuerit, ad occupandam Hiberniam non plures una legione cum modicis auxiliis requiri, minus recte admonere eum potuit hoc quoque adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma conspicerentur, et

posse, idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur.

XXV. Ceterum aestate, qua sextum officii annum inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium et infesta hostilis exercitus itinera timebantur, portus classe exploravit; quae ab Agricola primum assumpta in partem virium sequebatur egregia spe-

velut e conspectu libertas tolleretur. Quare potius credam, Tacitum, quod ex Agricola saepe audivisset, memorasse, ut illius successores perficerent, quod ipse non potuit, impeditus maiore cura Caledoniae, atque ita totius Britanniae perdomandae. Praeterea Tacitus significasse videtur, Agricolam, nisi post victoriam in monte Grampio reportatam fuisset revocatus, in Hiberniam transgressurum fuisse.

Aestate, qua sextum officii annum inchoabat. Scripsit credo: *aestate, quae sextum officii annum inchoabat.* Tacitus sic loqui amat vel in hoc ipso libello cap. 7. *Sequens annus gravi vulnere animum domumque eius afflixit.* 22. *Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit.* 38. *Proximus dies faciem victoriae latius aperuit.*

Amplexus civitates. Legendum videtur; *amplexurus civitates*, firmo consilio amplectendi, certus amplecti: ea vis saepe est in futuro participii. Liv. XXI. 58. *Ad prima ac dubia signa veris profectus ex hibernis, in Etruriam duxit; eam quoque gentem, sicut Gallos Liguresque, aut vi aut voluntate adiuncturus.* Talia sunt *moriturus, periturus*, de quo dixi ad Horat. Carm. II. p. 127. Syllabae *er ir ur* saepissime in Vatic. in medio verborum vel signo indicantur, vel sine signo omittuntur. Explicavit Wexius in Prolegomenis. Kritzius interpretatur: „amplexus non bello, sed animo, quum animo intendisset universas civitates aggredi."

Et infesta hostilis exercitus itinera. Rhenanus correxerat *hostili exercitu.* Beckerus, *hostibus*, ego olim *hostili exercitui.* Wexius vulgatum tuetur, et docet Latine dici *iter exercitus ipsius*, iter facientis, et *reddere iter alicuius infestum.* Quo magis tamen locum et consuetudinem Taciti considero, hoc magis verosimile arbitror eum scripsisse: *quia motus universarum ultra gentium, hostiles exercitus et infesta itinera timebantur. Motus* sunt initia bellorum, hinc exercitus colliguntur, exercitus faciunt itinera, infesta ingredientibus. Constructio *motus, exercitus et itinera* Tacito familiaris.

Ab Agricola primum assumpta in partem virium. Praefecti ante Agricolam navibus tantum utebantur ad milites et onera transportanda: nunc usus est ad bella quoque, ex onerariis fecit pugnae aptas. Sic partem virium efficiebant, et eum, terra progredientem, litus legentes sequebantur. *Assumpsit in partem virium*, ut Iustin. XXXVIII. 4. *Gallorum autem nomen quod semper Romanos terruit, in partem virium suarum numerat.* Livius saepe hac formula utitur. Ostendit Wexius.

Egregia specie. Ad vigorem et animum exercitui Romano addendum. Britannos quoque visa classis obstupe-

cie, quum simul terra simul mari bellum impelleretur, ac saepe iisdem castris pedes equesque et nauticus miles, misti copiis et laetitia, sua quisque facta, suos casus attollerent, ac modo silvarum ac montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc victus Ocea-

faciebat. Bellum terra marique simul gestum terrorem auget. Liv. XXXVI. 42. *Is classe circummissus, ita moderari cursum navium iussus erat, ut eodem tempore exercitus ostenderetur, et classis portum intraret.* Wexius haec aliter interpunxit: *sequebatur egregia specie. Cum simul terra simul mari bellum impellitur, ac saepe iisdem castris pedes equesque et nauticus miles, mixti copiis et laetitia, sua quisque facta, suos casus attollerent, ac modo silvarum ac montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc victus Oceanus militari iactantia compararentur (Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tamquam aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur) ad manus et arma conversi Caledoniam,* sq. Mihi longius ea verborum comprehensio ducta videtur, quam ut Tacito tribuam. Rarissima in eo reperias exempla apodosis remotae, ut talis nullum. Constans et perpetua scribendi consuetudo, quam sequitur et amat, nervosa illa brevitas Thucydidea, ad quam suo ipsius ingenio et tristi rerum argumento ferebatur, tantum apud me valet, ut rara huiusmodi exempla habeam suspecta. Pleraque certe, parva mutatione, ad solitum illi morem restitui possunt.

Hinc terra et hostis, hinc victus Oceanus. In Vatic. *victus.* Puteolanus *auctus*, idque vulgo edebatur. Quibus modis interpretes hoc explicare conati sint, narrare non attinet. Vel Latinitas non pati videtur. Quis enim diceret *augere terram, Oceanum, hostem,* pro iactando maiora facere pericula terrae et Oceani, numerumque et virtutem hostium in maius extollere? Sed me semper moratur difficultas in *terra et hostis.* De *terra* iam a Tacito dicta sunt, quae dici potuere: in ea erant *silvarum ac montium profunda*, ut in Oceano *tempestatum ac fluctuum adversa.* Haec eleganter sibi per partes aequales respondent. Sequi debebat similis convenientia, ubi pro se quisque iactat *profunda* et *adversa* esse superata. Similis convenientia non est. Nam *terra et hostis* — et — *victus Oceanus* non habent partes aequales. Legendum puto: *hinc territatus hostis, hinc victus Oceanus.* Milites iactabant: hostes territati vel adspectum nostrum sustinere ausi non sunt. Classiarii iactabant: nos, quod maius, vicimus Oceanum. Milites ita dicere *vicimus* non poterant. Terra enim pugnatum non est. Britanni semper retro cedebant, donec tandem ad manus et arma conversi sunt. At classiarii de *hoste* loqui non poterant, quia is mari non erat. *Territare* est *terrorem facere, terrere*, ut cap. 29. 38. *hosti pavorem iniicere*, ut pugnam vitet, nusquam consistat. Tacitus amat frequentativa. An *territare* et alibi usus sit, ignoro. Sed frequens utitur Livius. Ceterum milites gloriabundos in conventu pingit quoque Lucan. IV. 169. *Pax erat, et miles castris permixtus utrisque Errabat: duro concordes cespite mensas Instituunt, et permixto libamina Baccho Gramineis lu-*

nus militari iactantia compararentur. Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tamquam aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur. Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis, oppugnare ultro castellum adorti, metum, ut provocantes, addiderant; regrediendumque citra Bodotriam, et exceden-

xere focis: iunctoque cubili Extrahit insomnis bellorum fabula noctes. In quo loco et simile quid huic Taciti, praesertim *mixti copiis et laetitia.* Animadvertat qui corruptum vel *permixtus* vel *permixto* in versibus Lucani emendare tentet.

Aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur. Wexius: „non ita locuturus fuerit Cicero, quia metaphorae partes parum inter se concinunt. Cf. Hand. Lehrb. § 53. Scilicet Taciti aetate haec non amplius figurate et per metaphoram dicta existimanda sunt: *claudere* enim nunc nihil est nisi *intercipere*, intercludere." Ego et ita iudicarem, nisi adiunctum haberet *aperto maris secreto.* In *aperto* et *clauso* cogitatio metaphorae semper vel invitis redit, quamvis expellas. Quod videri potest non esse vel in *aperto* vel in *clauso*, hoc non potest videri in verbis coniunctis. Fortasse Tacitus acumen captavit, v. c. Romani nostrum secretum, in quo erat ultimum perfugium si vincamur, clauserunt. Tale acumen magis Plinio quam Tacito dignum esset. Quare hunc scripsisse coniicio: *reperto maris secreto.* Sic, me quidem, *clauderetur* non offenderet.

Metum, ut provocantes, addiderant. Non simpliciter significat *metum iniecerant*, sed magnum metum iniecerant. *Addere* semper aliquid primariae notionis retinet, nempe, *dare aliquid* ad id, quod iam adest, vel adesse cogitatur, id *augere.* Hic motus universarum ultra gentium iam *timebantur.* Nunc Caledonii *metum addiderant, metui, in metum;* qualia explicavit Heinsius ad Virgil. Georg. I. 513. melius quam Gronov. ad Senec. Herc. Furent. 1136. Pulcherrime idem Senecae Thyest. 994, pro *abdidit*, legebat *addidit: spissior densis coit Caligo tenebris, noxque se in noctem addidit.* Senecae tamen esse credo: *noctemque in noctem addidit.* Caligo addidit noctem, auxit, addidit noctem in noctem. Sic Ovid. Metam. VIII. 484. *In scelus addendum scelus est, in funera funus.* Quod de *addere* dixi, valet idem de *firmare*, *augere.* Tacitus eodem sensu ponit animos *addere* et *augere.* Ut Agric. cap. 5. *Artem et usum et stimulos addidere iuveni.* Apparet omnia ista in iuvene fuisse, quum aliquamdiu in Britannia degisset, sed finita expeditione Suetonii Paulini et tribunatu Agricolae *aucta.* Stimuli *adduntur*, ut calcaria *adduntur* vatibus apud Horat. Epist. II. I. 217. Liv. XXVI. 16. *Virgas adde viro forti.*

Ne superante numero et peritia locorum circumiretur. Hoc est: ne circumiretur, quod facile fieri poterat, cum numerus (hostium) superaret, et peritia locorum superaret, numerus et peritia in hostibus essent maiora. Concinnius putem: *ne superantes numero et peritia locorum circumirent;* vel: *ne*

dum potius quam pellerentur, ignavi specie prudentium admonebant, quum interim cognoscit hostes pluribus agminibus irrupturos. Ac, ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.

XXVI. Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio, universi nonam legionem, ut maxime invalidam, nocte aggressi, inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus irrupere. Iamque in ipsis castris pugnabatur, quum Agricola, iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque assultare tergis pugnantium iubet, mox ab universis adiici clamorem; et propinqua luce fulsere signa. Ita ancipiti malo territi Britanni; et Romanis rediit animus, ac securi pro salute de gloria certabant. Ultro quin etiam erupere, et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsi hostes,

superatus numero et peritia locorum circumiretur.

Nocte aggressi, inter somnum sq. Kritzius haec ita distinxit: *Universi nonam legionem, ut maxime invalidam, nocte aggressi, inter somnum ac trepiditationem, caesis vigilibus, irrupere.* Hac interpunctione indicare voluit, quod per se quoque patebat, coniungenda esse *inter somnum ac trepidationem irrupere,* non cum *caesis vigilibus.* Melior, puto, verborum hic ordo esset: *nocte, caesis vigilibus, aggressi, inter somnum ac trepidationem irrupere.* Primum erat caedere vigiles. Sic aggredi poterant legionem dormientem. Hi, tumultu excitati, arma capiebant, ut resisterent irrumpentibus. Sed alii etiam dormiebant, alii huc illuc trepidabant. Ergo hostes irrupere in castra.

Ac securi pro salute de gloria certabant. Acidalius, laudante Ernesto, transposuit: *securi de salute pro gloria certabant.* Sed utrumque Latine dicitur. Tacit. Hist. IV. 58. *Pro vobis sollicitior, aut pro me securior.* Annal. XIV. 2. *Securi de facilitate credentis:* in quo *de* significat quod attinet ad facilitatem. At consuetudo, quam scriptores in hac formula servant, poscit, ut *pro salute* suspendamus a *certabant* non a *securi.* Livius X. 16. *Quin Romanos omni agro cis Tiberim pulsos dimicare pro salute sua, non de intolerando Italiae regno cogant.* XXI. 41. *Atque utinam pro decore tantum hoc vobis non pro salute esset certamen. Non de possessione Siciliae ac Sardiniae, de quibus quondam agebatur, sed pro Italia vobis est pugnandum.* ubi legendum videtur *utinam de decore.* Curtius IV. 3. *Domestico bello Poenos impediri, nec de imperio, sed pro salute dimicare.* Apparet hoc ita dici, ut pugnemus *pro salute,* ne amittamus, *de gloria,* ut consequamur. Sententiam paulo aliter expressit Iustinus V. 6. *Tanta virtus animorum erat, ut, cum paulo ante salutem desperaverint, nunc non desperent victoriam.* Fortasse glossator ex nota ipsi formula adiecit *securi pro salute,* et Tacitus scripsit: *et Romanis*

utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur. Quod nisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret.

XXVII. Cuius conscientia ac fama ferox exercitus nihil virtuti suae invium, et penetrandam Caledoniam inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo proeliorum cursu fremebant; atque illi modo cauti ac sapientes prompti post eventum ac magniloqui erant. Iniquissima haec bellorum conditio est; prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. At Britanni, non virtute, sed occasione et arte ducis rati, nihil ex arrogantia remittere, quominus iuventutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent. Atque ita irritatis utrimque animis discessum.

rediit animus, ac de gloria certabant. Romanos iam paulo securiores fuisse intelligitur ex eo, quod Britanni malo ancipiti terrebantur. Ergo illis animus rediit, certabantque de gloria, reportanda cum a pulsis Britannis, tum ne auxilio aliorum eguisse viderentur. Tam securi, ut nunc legitur, esse non potuerunt, cum atrox etiam proelium instaret. Wexius cum Walthero: „Illi *de gloria* certabant, non *pro gloria*, i. e. ad gloriam parandam, non, ut paratam tuerentur." Confert Graecum *περὶ* et *ὑπέρ*, ut Demosth. Olynth. I. 55. *ὅτι νῦν οὐ περὶ δόξης οὐδ' ὑπὲρ μέρους χώρας πολεμοῦσιν.*

Ne eguisse auxilio viderentur. Diceres sufficere: *his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse viderentur.* Sed ecce Liv. VII. 35. *Digni estis, qui pauci pluribus opem tuleritis, ipsi nullius auxilio egueritis.* Nempe *accipimus* auxilium ab iis, qui habent facultatem dandi. Hoc autem exemplum est aemulationis honestae; turpis, in Liv. V. 8. *Huius arrogantiam pertinacia alterius aequabat; qui, ne quam opem ab inimico videretur petisse, vinci ab hoste, quam vincere per civem maluit.*

Et penetrandam Caledoniam. In Vatic. *penetrandum:* Puteolanus emendavit *penetrandam.* Idem *et* omisit. Hoc mihi elegantius videtur. Cupiditas maior in asyndeto.

Adversa uni imputantur. Beckerus malebat *duci. Omnes*, puto, et *unus* melius opponuntur, quam *omnes* et *dux.* Tacit. Hist. III. 78. *Haud facile quis uni assignaverit culpam, quae omnium fuit.* Annal. III. 53. *Cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. Unus* vulgo quidem *dux* cogitatur, non semper tamen est *dux:* legatus, tribunus, centurio aliquam rem sibi a duce imperatam male gerere potest, atque caussa esse cladis.

At Britanni, non virtute, sed occasione et arte ducis rati. Reliqui corruptam Vatic. scripturam. Viri docti varia coniiciunt: *arte ducis irati, arte ducis victos rati, se victos rati, non*

XXVIII. Eadem aestate cohors Usipiorum, per Germanias conscripta et in Britanniam transmissa, magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immisti manipulis exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim guber-

vicisse rati, arte usos rati, se — arte ducis elusos rati, non virtute victos se, sed occasione et arte ducis rati, arte eludi se rati, ut non virtute, sed occasione et arte ducis superati, vel *strati*, vel *fracti, non ut virtute sed — superati non virtutem, sed occasionem et artem ducis rati, non virtutem, sed occasionem et artem ducis rati*, sc. *esse qua vicerint*. Ita Wexius varias coniecturas affert, ipse veretur ne integra linea potius, quam una vocula exciderit, aut illa verba delenda censet, tamquam glossema, quod prioribus olim appositum fuerit, ut id unum relinquatur: *At Britanni irati:* praesertim miratur Britannos de occasione conqueri, quum ipsi potius ad occasionem versi illam opportunitatem Romanis praebuissent. Ego coniiciebam: *at Britanni, tamquam non virtute, sed occasione et arte superati: tamquam* propter similitudinem literarum antecedentium in *Britanni* facile omitti potuit, et *superati* corrumpi in *ducisrati.* Romani, dicebant, superaverunt nos non virtute, sed occasione et arte. Nota sunt huiusmodi solamina, quae victi saepe cum mendaciis coniungunt. Caesar B. G. I. 40. *Dispersos subito adortum, magis ratione ac consilio quam virtute vicisse.* VII. 29. *Non virtute neque acie vicisse Romanos, sed artificio quodam et scientia oppugnationis.* Quibus exemplis Wexium iam usum esse video.

Magnum ac memorabile facinus. Mirum, quantopere scriptores, inde a Terentio, ista coniungere ament. Terent. Heaut. II. III. 73. *Non fit sine periculo facinus magnum et memorabile.* Virg. Aen. IV. 94. *Magnum et memorabile nomen.* Ovid. Metam. X. 608. *Hippomene victo magnum et memorabile nomen.* Lucan. VI. 496. *Nescio quod nostris magnum et memorabile fatis Exemplum.* Ambros. Oper. T. I. p. 595. *Magnum et memorabile officium Dei.*

Exemplum et rectores habebantur. Vopiscus in vita Taciti cap. 4 facit eum dicentem: *Miror, P. C., in locum Aureliani fortissimi imperatoris senem velle principem facere. Et membra, quae iaculari valeant, quae hastile torquere, quae clypeis intonare, quae ad exemplum docendi milites frequenter equitare.* Hic *centuriones* et *milites* sunt exemplum, ut apud Lucan. III. 729. *fessusque senecta Exemplum non miles erat.* Noti sunt *doctores cohortis, campidoctores, armidoctores* sim. de quo Salmas. ad Vopisc. in Aureliano 23. *Habebantur*, ut *habere* dicimur homines et res, unde utilitatem percipiamus. Ita populus Romanus cap. 14. *habebat et reges instrumenta servitutis.* Annal. III. 42. de ala equitum, quae *conscripta Treveris militia disciplinaque nostra habebatur*, i. e. qua ala ibi utebamur, tamquam essent ipsi Romani equites. Wexius: „An militarem h. l. habet significationem? *Haberi* enim in aliquo loco dicuntur milites, qui ad tempus in eo agunt."

Et uno remigante, suspectis duobus, eoque interfectis. Nemo fere non haec esse corrupta fatetur. Puteolanus cor-

natoribus ascendere; et uno remigante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum praevehebantur. Mox hac atque illa rapti et cum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi, ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere,

rexit *remigrante*. Wexius, *morigerante*, Mutzellus *renavigante*. Mihi in mentem venit: *et interfectis, uno, remeante, duobusque, eo suspectis*. Unum gubernatorum statim interfecerunt, quia remeabat, duos mox interfecerunt, quia suspectos habebant, propter conatus unius, remeantis. Ergo in tribus Liburnicis altum petiere, et perpetuo inscitia regendi laborabant, cum nullum haberent gubernatorem, artis peritum. Si una navis remeasset, non ut miraculum fuissent praevecti, neque opus erat vulgari rumorem. Et Tacitus aliquid narrasset de poena ab Usipiis in una illa Liburnica, quae remeasset, sumta. *Remeare*, ut Annal. XII. 17. *Navium quasdam, quae mari remeabant, in litora Taurorum delatas circumvenere barbari, praefecto cohortis et plérisque centurionum interfectis.*

Mox hac atque illa rapti. Sic edidi ut locus saltem intelligi posset. Rhenanus ista effecerat ex Mss. in quibus legitur: *mox ad aqua. Atque ut illa raptis secum plerisque.* Dronkius quoque et Beckerus in Rhenani invento acquiescunt. Et favere videtur Dio Cass. LXVI. 20. idem facinus narrans: *'Εξαναχθέντες παρέπλευσαν τὰ πρὸς ἑσπέραν, ὥς που τό τε κῦμα καὶ ὁ ἄνεμος αὐτοὺς ἔφερε.* Scriptura tamen Vatic. ad alia ducit, quorum inopia Usipetii brevi laborabant, *aquam et cibum.* In *ut illa* latere *utilia* iam olim conieceram. Deinde exempla quaedam annotavi, si fortasse ex iis aliquid elicerem, quod Tacito dignum censeatur. Sallust. Fragm. l. VI. p. 1001. *Defectione sociorum et Sertorii per montes fuga neque manu certare possunt, neque utilia parare.* i. e. *frumentum*, nam praecessit: *imperatores frumentum poscunt.* Seneca Epist. 87. *Canterio vehebatur, et hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret.* Ammian. Marcell. XXV. p. 321. *Absumptis omnibus, quae mandi poterant, utilibus.* Liv. VII. 26. *Nec illi terra, nec Romanus mari bellator erat. Postremo, quum litoribus arcerentur, aqua etiam praeter cetera necessaria usui deficiente, Italiam reliquere.* XXXI. 45. *Per agros palati milites frumentum, et si qua alia usui esse ad vescendum poterant, ad naves retulere.* XXIX. 28. *Annis prope quinquaginta nullum Romanum exercitum viderant praeter praedatorias classes, quibus exscensiones in agros maritimos factae erant: raptisque, quae obvia sors fecerat, prius recursum semper ad naves, quam clamor agrestes conciret, fuerat.* Elicere nihil scivi, nisi quod aptam sententiam haberet, ceterum nimis a Mss. recederet: v. c. *mox ad aquam atque utilia raptis, quas possent, rebus Britannorum, suaque defensantium proelio congressi sq.* Formulae *res rapere*, *ad aquam*, i. e. praeter *aquam*, notae sunt: congredi *proelio alicuius*, ut Iustin. VII. 3. *Ne dehonestaretur proelio tam foedae gentis.* Multae interea aliorum coniecturae feruntur, quas plerasque Wexius enumeravit: *mox ab aqua hac atque illac rapti: mox ad aquam atque utilia rapturi secum, plerique: mox ad*

ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos, vescerentur. Atque ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro praedonibus habiti, primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt. Ac fuere, quos per commer-

aquam atque utilia rapturi secum, plerisque: mox ad aquam atque utilia raptum ire: mox ad aquam atque utilia dilapsi et cum plerisque: mox autem aquam atque utilia raptantes cum plerisque: mox ob aquam atque utilia separati cum plerisque. Ipse Wexius de sua coniectura edidit: *mox ab aqua atque victu laborantes cum plerisque Britannorum sua* sq. Kritzius partim ex emendatione Eckstenii edidit: *mox ad aquam atque utilia rapturi cum plerisque* sq. *ad aquam* interpretatur *in aquatione*, et *utilia* a Tacito scriptum putat, non *utensilia*, quia illud legitur apud Sallust. Fragm. II. 50. et B. I. 86.

Ac saepe victores, aliquando pulsi. Si saepe essent victores, aliquando tantum pellerentur, poterant, credo, idoneam aquae et utilium copiam in naves referre, quae ab extrema inopia defenderent. Fortasse rectius transponentur, et delebitur *ac* quod orationem modo impedit: *suaque defensantium proelio congressi, aliquando victores, saepe pulsi, eo ad extremum inopiae venere* sq.

Eo ad extremum inopiae venere. Hic *ad extremum* debebit significare *tandem.* Atque eo sensu saepe adhibetur. Sed *ad extremum inopiae* quoque significat *ad extremam inopiam.* Liv. XLIII. 16. *Ad extremum spei venit reus.* Quare non credo Tacitum posuisse vocem adeo ambiguam, cum facile potuisset *eo tandem inopiae venere.* Latina sunt: vel, *ad extremum eo inopiae venere*, vel, *eo inopiae venere, ut ad extremum infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur.*

Amissis per inscitiam regendi navibus. Ars omnino erat difficilis, et illis temporibus, et mari ignoto, et hominibus, qui non didicissent, ut, v. c., didicerat Carausius, de quo Aurelius Victor in Caesaribus, XXXIX. 20. *Quem, simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur, parandae classi ac propulsandis Germanis maria infestantibus, praefecere. Hoc elatior, cum parum multos opprimeret, neque praedae omnia in aerarium referret, Herculii metu, a quo se caedi iussum compererat, Britanniam hausto Imperio capessivit.* In his *parum* est corruptum. Lego *piratarum.* Carausius revera multos oppresserat. Alii legebant *non parum, barbarorum, paronum.*

Primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt. Tacitus loquitur de tota cohorte Usipetiorum, qui in tribus liburnicis Romanos deseruerant. Britanniam circumvecti, ad litora Suevorum venisse intelliguntur et ibi naves amisisse. Quomodo *primum* intercepti fuerint a Suevis, *mox* a Frisiis, non intelligo. Cogitavi an, quod mihi obscurum videbatur, fieri posset magis perspicuum, verbis transpositis: *atque ita circumvecti Britanniam, a Suevis, dein a Frisiis pro praedonibus habiti, mox amissis per inscitiam regendi navibus, intercepti sunt.* Circumvecti Britanniam primum venerunt ad litora Suevorum. Hi, ad conspectum trium liburnicarum, eos pro praedonibus habebant, praedones esse putabant: ergo arcebant litore. Eadem sors fuit in litore Frisiorum. Ventis maria omnia vecti, ut olim Troiani, hospitio are-

cia venumdatos et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos indicium tanti casus illustravit.

XXIX. Initio aestatis Agricola, domestico vulnere ictus, anno ante natum filium amisit, quem casum neque, ut plerique fortium virorum, ambitiose, neque per lamenta rursus ac moerorem muliebriter tulit. Et in luctu bellum inter remedia erat. Igitur praemissa classe, quae pluribus locis

nae prohibebantur: mox, amissis navibus, intercepti sunt a Frisiis. Wexius haec annotavit: „vix aliter haec explicari poterunt, quam ut *primum mox* interpreteris *οἱ μὲν — οἱ δὲ*. An veram scripturam retinuit codex *Δ* in quo quod scriptum est *p'modum* forsan sit *propemodum* legendum? Praeterea mirum, si amissae sunt naves, quomodo diversis locis pro praedonibus haberi potuerint. Num II navibus legendum?" Ego ex *p'modum* feci *primo* ex *dum*, *dein;* idque alio transtuli.

Quos — indicium tanti casus illustravit. Narraverunt quid in Britannia perpetrassent, per quot casus et discrimina venissent, ubi nunc erant. Hinc celebritatem quandam nacti, ut fit in hominibus tot mala perpessis, fortasse et a dominis, qui emerant, mitius habebantur. Domini, puto, erant Germani, quibus tuto narrare possent de caede centurionis et militum Romanorum; in ripa sinistra, provincia Romana, non potuissent. Quare legam: *ac fuere, quos per commercia venundatos, et nostram usque ripam mutatione ementium adductos.* Usque ad ripam sinistram; manserunt in dextra, usque ad Rhenum, limitem hinc Germaniae inde Romani imperii. *Usque ad nostram ripam* quatenus, medio Rheno, adduci potuerint. Sic in German. XVII. 3. *Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus*, i. e. proximi ripae nostrae, unde maior cultus.

Initio aestatis. Haec erat *septima* aestas. Broterius VII excidisse putabat, absorptum terminatione verbi praecedentis *illustravit.* Legebat adeo: *Septimae initio aestatis.* Tum, credo, Tacitus scripsisset: *initio septimae aestatis.* Ernestus supplebat initio *sequentis*, vel *proximae.* Cogitavi *initio novae aestatis.* et in *ioae* sunt elementa vocis *novae.* Sed hic annus erat ultimus; quotus, facile intelligitur ex cap. 25. *Aestate, qua sextum officii annum inchoabat.* Dronkius monuit, numerum scriptori non debere obtrudi, et Wexius putat Tacitum in verbis *atque ita discessum* prioris aestatis finem quodammodo indicasse, ut errare certe legentes non possent.

Filium amisit. Et antea et nunc Proconsules saepe uxores in provinciis secum habebant. De ista consuetudine Caecina et Messalinus apud Tacit. Annal. III. 33, in utramque partem disputant. cf. Lips. et Longol. ad Plinii Epist. X. 121.

Fortium virorum. Universe *viri* opponuntur mulieribus, *fortes* viri opponuntur *lamentis et moerori muliebri.* In *fortibus* simul inest ironia quaedam, ut in Horatii, quamquam alio sensu: *quid brevi fortes iaculamur aevo multa?* Ironia apparet ex addito *ambitiose*, quasi dixisset *per fortitudinem ambitiosam*, ut fortitudo ostentaretur. Sic *lacrimae ambitiosae* sim. de quo Cort. ad Lucan IV. 375. *Muliebriter* notum ex Horatio, canente Cleopa-

praedata magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannia fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Graupium pervenit, quem iam hostis insederat. Nam Britanni, nihil fracti pugnae prioris eventu, et ultionem aut servitium exspectantes, tandemque docti commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. Iamque super triginta millia armatorum aspiciebantur, et adhuc affluebat omnis iuventus et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello et sua quisque decora gestantes, quum inter plures duces virtute et genere praestans, nomine Calgacus, apud contractam multitudinem proelium poscentem in hunc modum locutus fertur:

tram *non muliebriter* expavisse ensem. Liv. XXV. 37. *Excitantibus centurionibus manipulares, et ipso mulcente et increpante Marcio, quid in muliebres et inutiles se proiecissent fletus potius, quam ad tutandos semet ipsos et rempublicam secum acuerent animos, et ne inultos imperatores suos iacere sinerent.* cf. Burm. ad Ovid. Heroid. VIII. 21. Haec annotavi propter Ernestum, qui *viros fortes* interpretabatur *militares.*

Ambitiose. Annal. II. 77. *Periisse Germanicum nulli iactantius moerent, quam qui maxime laetantur.* Agricolae bellum erat *inter remedia*, ut Annal. IV. 15. *negotia pro solatiis accipiens.*

Cruda ac viridis senectus. Neminem latuit Virgilianum Aen. VI. 304. *Cruda deo viridisque senectus.* Unde et Seneca Oedip. 167. *durus senio Navita crudo.*

Sua quisque decora gestantes. Ernestus intelligit *praemia* ob virtutem bellicam accepta: alii, *manubias* hostibus interfectis detractas: ego potius, *fortia facta*, quorum conscientiam et famam plerique gestabant in aciem, afferebant. Talia decora omnibus erant nota, ducibus praesertim, qui per ea milites saepe ad virtutem hortabantur. Ita cap. 34 Agricola suis in proelium ituris: *nunc vestra decora recensete.* German. 11. *Rex vel princeps, prout aetas cuique, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur.* Histor. III. 10. *Ut quemque notum et aliquo militari decore insignem adspexerat, ad ferendam opem nomine ciens.* ubi Ernestus interpretatur et *facinus* et *praemium ob facinus.* Sua quisque decora *gestabat*, ut German. 7. *feminae cibos et hortamina pugnantibus gestant*, i. e. afferunt, quod usitatius. Cicero pro Quinctio 31. *Quam existimationem attulit, eam secum ex hoc loco efferre liceat.* Liv. VI. 7. *Quum eadem omnia in hoc bellum afferemus, quae in prima attulimus, eundem eventum belli exspectemus.* Iustin. XI. 13. *Cum in aciem secum tam tristem memoriam caedium suarum et tantum sanguinis duobus proeliis fusi ferrent.*

Quoties caussas belli et necessitatem nostram intueor. Hodie profecto non erat tempus saepe et multum intuendi ac cogitandi. *Quoties* vulgo indicat memoriam et cogitationem renovatam rei aliquamdiu praeteritae. Hist. I. 37.

XXX. Quoties caussas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae fore. Nam et universi servitutis expertes, et nullae ultra terrae, ac ne mare quidem securum, imminente nobis classe Romana. Ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnae, quibus adversus Roma-

Horror animum subit, quoties recordor feralem introitum et hanc solam Galbae victoriam, cum in oculis urbis decumari deditos iuberet. Quomodo cum *quoties intueor* coniungi possint *magnus mihi animus est hodiernum diem fore*, non intelligo. Ratio, exemplis confirmata, postulat: *Quum caussas belli et necessitatem nostram intueor.* Sallust. Catil. 58. *Cum vos considero, milites, et cum facta vestra aestumo, magna me spes victoriae tenet. Animus, aetas, virtus vestra hortantur; praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortes facit.* Idem 52. *Longe mihi alia mens est, P. C. cum res atque pericula nostra considero, et cum sententias nonnullorum mecum reputo.* Sallustius neutro loco dixisset *quoties* pro *cum.* Servato *quoties*, cetera, puto, sic erant Latina: *quoties caussas belli et necessitatem nostram intuebar, magnus mihi animus erat, consensum vestrum, ut hodierni diei* sq. Nam nec *hodiernus dies* cum *quoties* convenit, nisi interpretere diem qualis est hodiernus, testis vestri consensus; quam significationem tamen ex verbis aegre cogas. Calgacus certe, quoties ista, quae dicit, intuebatur, *diem hodiernum* nullo modo praesagire poterat.

Magnus mihi animus est. Significare oportet, *magna mihi spes est*, an possit ut hic legitur, dubito. Minus offenderer, si legeretur: *magnus mihi animus est, hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae facere.* Dronkius: „i. e. spes; nam etiam haec est quidam animi affectus. Locus, quem Bachius laudavit ex Sallust. Catil. 40, ad hanc significationem demonstrandam non est aptus. Equidem nullum alium novi." Wexius: „i. e. *confido.* Eodem modo Graecam vocem *θαῤῥῶ* subinde suspensa enuntiatio excipit." Si locus Ciceronis Epist. ad Q. Fratr. I. II. 5. esset sincerus, faceret aliquantum ad significationem, quae in *animus* requiritur, confirmandam: *Equidem cum spe sum maxima, tum maiore etiam animo [spero] superiores fore nos [confido animo] ut in hac republica ne casum quidem ullum pertimescam.* Orellius ista, auctore Ursino, seclusit. Solita quidem Ciceronis formula est: *Equidem cum spe sum maxima, tum superiores fore nos confido; ut in hac republica ne casum quidem ullum pertimescam.* Cicero scripsit in eadem epistola: *Quare magnum fac animum habeas, et spem bonam.* Atque ita *sperare* et *confidere* saepe coniunguntur.

Quia nobilissimi totius Britanniae, eoque in ipsis penetralibus siti. Ernestus non videt, quomodo haec cum antecedentibus cohaereant, et coniicit pro *nobilissimi* legendum esse *novissimi*; alii tribuunt iactantiae hominum, qui, quod *nobilissimi* sint, perhibent se in penetralibus insulae, quasi *κειμήλιον* gentis, esse sitos. Talis iactantia ali-

nos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae, eoque in ipsis penetralibus siti, nec servientium litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit. Nunc terminus Britanniae patet, atque omne ignotum pro magnifico est.

quem sensum haberet, si loquerentur de insula nondum habitata. Multae v. c. tribus simul eam occupant. Dividitur: Caledonii in penetralibus collocantur, quia sunt nobilissimi, virtute omnes alias tribus superant. Sed ne sic quidem Tacitus eos ita loquentes fecisset. Sic enim, quia essent *nobilissimi*, accepissent pessimam totius insulae partem. Melius, credo, transponentur: *quia in ipsis penetralibus siti, eoque nobilissimi totius Britanniae;* ideo nobilissimi et sumus et habemur, nobilissimi virtute et fama; quia libertatem intactam servavimus, integris viribus sumus, et omnes Britanni spem et subsidium in nobis habuere repositam, et quia omne ignotum pro magnifico est, Romani nos adhuc timebant. *Penetralia*, ut Ovid. Trist. IV. IV. 83. *Haec igitur regio magni penetralia mundi, Quam fugere homines Dique, propinqua mihi est.* Tacit. German. 41 vocat *secretiora: Pars Suevorum in secretiora Germaniae porrigitur.* Recte quoque legeretur: *quia nobilissimi totius Britanniae inque ipsis* sq. Wexius coniicit, *eiusque in penetralibus;* Kritzius, *iique in penetralibus.*

Terrarum ac libertatis extremos. Horat. Carm. I. 35. *Serves iturum Caesarem in ultimos Orbis Britannos.* Ubi nonnulla annotavi, ut defenderem, quod Bentleius negabat esse Latinum, *ultimos orbis.* Wexius: „Ut satis apte illi genitivi copulati videantur, tenendum est, *libertatem* esse hoc loco complexum terrarum, quae non pareant Romanis."

Sinus famae in hunc diem defendit. Lipsius intelligit *sinum famae* de Britannis vix fama notis, quasi in sinu famae conditis; atque ita et alii, et Lachmannus ad Propert. IV. XXI. 32. *Lenibant tacito vulnere nostra sinu*, i. e. in loco ab omni turba vacuo et remoto. Putabam, qui in *sinu famae* sunt, eos ubique esse, ubi esset fama. Qui sunt, ubi fama est, non esse possent ignoti, nisi fama *sileat. Silentium* et *fama* simul cogitari non possunt. Si fama de aliquo silet, antea *locutam* esse oportet, et tandem vel ipsam loquendo fessam tacere, vel tacere precibus aliorum oratam, ut apud Tibullum: *Rumor acerbe tace!* Mens Taciti, ni fallor, haec est: Recessus ac sinus regionis *nos defendit famae*, pro *a fama*, contra famam. Romanis adhuc eramus ignoti. Quia praecedit *terrarum extremi*, ideo satis apparet, quid *sinus* significet. Ea vox saepe *ultimus*, *extremus*, sim. habet adiuncta. Iustin. XLIII. 3. *in ultimos Galliae sinus.* cf. Gronov. ad Senec. Troad. 172 et Passov. ad Taciti German. p. 84. Quod Plinius Epist. VII. 25 de viris eruditis dicit, quos *modestia et quies famae substrahit*, facilius est, quam *famae defendit*, rarius quippe, et poëtarum magis proprium,

Sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romani, quorum superbia frustra per obsequium ac modestiam effugeris. Raptores orbis, postquam cuncta

sed propterea a Tacito non alienum. Propert. I. xx. 11. hunc *Nympharum cupidis semper defende rapinis*. P. Statius Theb. IX. 218. *Senium defendere famae*, i. e. *a fama*, ut interpretatur Heins. ad Claudian. de II Cons. Stilich. 171. Silius Ital. V. 490. *defendere nescia morti Dedecus*. cf. Heins. ad Ovid. Heroid. V. 16. qui exempla non distinxit huius et alterius formulae, qua dicitur *famam defendere alicui*, quia ille tantum agebat de *defendere* pro *arcere*. Ceterum eadem sententia est in his Livii XLII. 53. *Qui Europa omni domita, transgressi in Asiam, incognitum famae aperuerunt armis orbem terrarum*. Rothius, qui Agricolam edidit a. 1833, h. l. eodem modo interpretatus est. Didici ex Dronkio, qui nobiscum facit. Kritzius: „*sinus famae* significat *tutamentum*, quod fama nobis praebebat, quae tamquam sinus tutans nos complexa est." Et sic Wexius.

Atque omne ignotum pro magnifico est. Rhenanus pro *atque* legit *atqui*. Acidalius duplici modo transposuit, Muretus delevit, Ritterus uncis inclusit. Coniicio: *nunc terminus Britanniae patet, utque omne ignotum, pro magnifico est*. Britanni spem in Caledoniis habebant. Nam eramus intacti armis Romanorum, qui vix nomen nostrum audiverant. Nunc ad terminum Britanniae, usque Caledoniam venere. Penetrarunt ad hunc recessum et sinum nostrum, cuius interiora quidem iis sunt incognita, eoque magis timenda videntur; atque ista locorum et hominum ignorantia hostibus obest, nobis prodest, nobis pro magnifico est, ut solet esse omne ignotum, quod plerumque in maius ad terrorem hostibus invadentibus augetur. Utamur igitur hoc magnifico, sed hoc quoque cogitemus, nihil ultra esse, quo victi fugiamus. Sententia, *omne ignotum magis timetur*, variis modis expressa est, v. c. Tacit. Annal. II. 82. *Cunctaque, ut ex longinquo, aucta in deterius afferebantur*. Liv. XXVIII. 44. *Maior ignotarum rerum est terror; bona malaque hostium ex propinquo ingressus fines adspicias*. Iustin. II. 10. *Tantoque rem maiorem, quanto sit occultior putabant*. Appul. Metam. V. p. 326. *Quovis malo plus timet, quod ignorat*. Adde locum Caesaris de B. C. II. 4. *Communi enim fit vitio naturae, ut invisis, latitantibus atque incognitis rebus, magis confidamus, vehementiusque exterreamur; ut tum accidit*. Ostendi haec verba corrupta, si quis corrigere sciat. Quantum auxilii Caledoniis in eo sit, quod pro magnifico habebatur, dicit ipse Calgacus, vocans Romanos *trepidos ignorantia, coelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circumspectantes*.

Nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romani. Rhenanus *inferiores*, alii *interiores*, alii alia. Nil mutandum. Romani sunt infestiores quam *fluctus et saxa*. Comparatio coloris poëtici. Ovid. Heroid. X. 132. *Auctores saxa fretumque tui*.

Raptores orbis. Aliae gentes Romanos appellabant lupos, obiicientes et originem a Romulo et rapacitatem luporum: *lupi* autem *et raptores* et *latrones* appellantur. Attigi ad Horat. p. 289. Ita Telesinus apud Vell. Paterc. II. 27, vocat eos *raptores Italicae libertatis*. Mithridates apud Sal-

vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur; si locuples hostis est, avari, si pauperes, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens satiaverit. Soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.

lust. Fragm. IV. p. 485. *latrones gentium.* Iam ex Virgilio noti sunt *lupi raptores.* Cf. Heins. ad Valer. Flacc. VI. 121, et Burm. ad Phaedri Fab. I. 1. *fauce improba Latro incitatus.*

Cuncta vastantibus defuere terrae. Dicit quid raptores orbis fecerint, et nunc facere meditentur, i. e. non adeo ut *vastent*, quam ut *spolient.* Terras, ait, iam omnes vastarunt, desunt, quas vastent; nunc et mare *scrutantur*, ergo visuri, si quid in eo sit, quod vastare possint. Hinc sensus idoneus non efficitur. Verba tamen cum *terra* et *mari* coniuncta, significationem habere debent non diversam, sed quae recte ad avaritiam referantur. Coniicio: *raptores orbis, postquam cuncta vestigantibus defuere terrae, et mare scrutantur.* Si vel in extremis Caledoniae litoribus, vel in ipso mari aliquid inveniant, quod praedari possint. Bene sibi respondent *vestigare* et *scrutari*, minus, *vastare* et *scrutari:* sic apud Ciceron. Verr. II. 4. *In Siciliam posteaquam venerunt, mirandum in modum canes venaticos diceres, ita odorabantur omnia et pervestigabant, ut, ubi quidque esset, aliqua ratione invenirent.*

Et mare scrutantur. Kritzius edidit *iam et mare* ex coniectura Halmii, qui hoc effecit ex Vatic. *terram et mare.*

Opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. Sive gens aliqua sit dives sive pauper, perinde est, modo spoliare possint divitem, modo sub iugum mittere pauperem. Illud faciunt avari, hoc ambitiosi. Virdungus quaerebat, quomodo *inopiam* concupiverint. Wexius putat inde explicandum, quia veteres amant contraria componere, ut universa complectantur. Kritzius: „magnis opibus inhiant, neque parvas respuunt."

Auferre. Pro eo cogitabam *agere ferre.* Nota formula a Graecis desumpta. Primus, credo, explicavit Erasmus in Adagiis ἄγουσι καὶ φέρουσι. Tum Gronov. Observ. III. 22, multique alii. Mirum Latine plerumque dici *ferre agere*, Graece ἄγειν φέρειν. Quia tamen sequitur *rapere*, quod iam in *auferre*, in *agere ferre* quoque inest, melius erat tria saevitiae genera coniungi: *Urere, trucidare, rapere.* Virg. Aen. II. 374. *rapiunt incensa feruntque Pergama.*

Ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. Ut in singulis nationibus, ubi unus fortiter regnat, *pax* est, ita *pax* in multis nationibus, ubi una omnibus superior, eas in obsequio et servitute tenet. Talem *pacem* Romani mundo dederant. Hinc Vell. Paterc. II. 90. vocat *orbem terrarum victoriis* I. Caesaris *pacatum*, quod Ruhnkenius recte contra Lipsii coniecturam *victoriis peragratum* tuetur. Tandem *pax Romana* idem significare coepit, quod *imperium Romanum*, ut apud Graecos εἰρήνη. Tacitus Annal. XII. 33. *Caractacus transfert bellum in Ordovicas, additisque, qui pacem nostram metuebant, novissimum casum experitur.* Cf. Gronov. Rutil. Itiner. I. 79. *Te Dea*

XXXI. Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit. Hi per delectus alibi servituri auferuntur; coniuges sororesque, etiamsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. Bona fortunaeque in tributum aggerantur, annus in frumentum, corpora

te celebrat Romanus ubique recessus, Pacificoque gerit libera colla iugo. Eumen. Paneg. Constantio, 20. *Tenet uno pacis amplexu Romana respublica quidquid variis temporum vicibus fuit Romanum.*

Hi per delectus alibi servituri auferuntur. Qui in castris Romanorum militant, ab irato Calgaco dici possunt *servire.* Sic Eumenius in Paneg. Constantio, 9. *Quin etiam, si* (Frisius) *ad delectum vocetur, accurrit et obsequiis teritur, et tergo coercetur, et servire se militiae nomine gloriatur.* Sed illud *alibi* non caret difficultate. Auxilia quidem cohortium, ut legimus Annal. IV. 5, *ex usu temporum huc illuc meabant.* Sed quum Calgacus filios et propinquos Britannorum *alibi* pro Romanis militaturos dicit, *alibi* adiunctum esse oportet ad augendam miseriam et ignominiam. Neutra autem sic augetur. Tristius enim et turpius regi debebat videri, si in ipsa Britannia contra Britannos militare cogerentur. Hoc ipse sentit et indignatur: *nisi Gallos et Germanos et, pudet dictu, Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostes quam servos, fide et affectu teneri putatis.* Neque delectus sola erat caussa, cur auferrentur. Auferebantur quoque, *quorum corpora ac manus, silvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias conterebant.* Denique ipsum pronomen *hi* in tali constructione fere postulat oppositum *alii.* Coniicio: *Hi per delectus, alii servituri auferuntur.*

Auferuntur *servituri*, ad serviendum, *servitum*, ut Virgil. Aen. II. 786. *Graecis servitum matribus ibo.*

Coniuges sororesque, etiamsi hostilem libidinem effugiant. In re tali vulgo adduntur *filiae.* Fortasse: *coniuges sororesque et filiae, si hostilem libidinem effugiant.* Si quae sint, quae effugerint. Virginius apud Liv. III. 50. *Nec se superstitem filiae futurum fuisse, nisi spem ulciscendae mortis eius in auxilio commilitonum habuisset. Illis quoque enim filias, sorores coniugesque esse: nec cum filia sua libidinem Appii Claudii exstinctam esse.*

Nomine amicorum atque hospitum polluuntur. Etiamsi adiungitur *nomine amicorum atque hospitum*, in hac tamen caussa *pollui* vix sine vi adhibita intelligitur, ut Hist. III. 41. *Sed Valens ne in tanto quidem discrimine infamia caruit, quominus rapere illicitas voluptates adulteriisque ac stupris polluere hospitum domos crederetur.* Aderant vis et pecunia. P o *polluuntur* mallem *pelliciuntur.* Liv. III. 44. *Hanc virginem adultam, forma excellentem, Appius, amore ardens, pretio ac spe pellicere adortus; postquam omnia pudore septa animadverterat, ad crudelem superbamque vim animum convertit.*

Bona fortunaeque in tributum aggerantur. Haec mihi proxime ad Mss. accedere, et sententiam intellectu facilem habere videntur. Mss. *bona fortunae quae* et in margine *que tum aggerat.* Unde alii alia effecerunt: *bona fortunasque in tributa egerunt,*

ipsa ac manus, silvis ac paludibus emuniendis, inter verbera ac contumelias conteruntur. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur; Britannia servitutem

in annonam frumentum: annos in frumentum: bona fortunaeque aggerata. Kritzius edidit ex coniectura Frid. Iacobi: *bona fortunaeque in tributum, ager atque annus in frumentum, corpora — conteruntur.* In Mss. *conterunt.* Sed ea varietas in his Mss. tanta est, et ultima syllaba tam saepe omittitur, ut, si sententia postulet, sine haesitatione activum mutare in passivum liceat.

Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur. Fortasse: *nati servi, semel mancipia, veneunt, atque ultro a dominis aluntur.* Nati servi, atque ideo semel mancipia, venduntur, emuntur. Dominos mutant, mancipia manent, sed domini eos alunt. Nos liberi nati, liberi manere nolumus, nec per inertiam possumus. Iugum tanta patientia toleramus, ut dominos etiam pascamus. Cibus iste quotidianus, quem Romanis praebemus, est quotidianum nostrae servitutis, alienae dominationis, alimentum. Tanta patientia iugum ferimus. Excutiamus, negemus obsequium, tributa et frumentum. *Semel,* ἅπαξ, semel in perpetuum. Exempla apud multos scriptores reperiuntur. Quintil. Declam. 348. *An liberi vestri coniugesque traditam a maioribus per manus in hoc usque tempus libertatem semel perderent.* Cf. Bentl. ad Horat. Satir. II. 8. 24. *Nati servi,* ut *viri, liberi nati.* Phaedr. Fab. III. 20. *Qui natus est infelix, non vitam modo Tristem decurrit, verum post obitum quoque Persequitur illum dura fati miseria.* Ubi *natus infelix* explicatur per sequentia; ut hic *nati servi* per *semel mancipia* et sq. Liv. XLI. 6. legati Lyciorum querebantur: *nihil inter se et argento parata mancipia interesse.* Senatus respondit: *nec Lycios Rhodiis nec ullos alicuiquam, qui nati liberi sint, in servitutem dari placere. Nati servi* δοῦλοι γένει, quibus interdum opponuntur δοῦλοι τύχῃ: sunt et δοῦλοι γεννηθέντες, sim. Act. Apost. XII. 28. ubi Paulus, dicenti Chiliarcho, se civitatem Romanam multo emisse, respondet: ἐγὼ δὲ καὶ γεγέννημαι. Matth. II. 2. ποῦ ἔστιν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; Vulgat. *ubi est qui natus est rex Iudaeorum?* infans scilicet, natus ex genere regio, statim, quando natus est, *rex* dicitur, ut ex servili *servus. Natus servus* proprie sumitur, *natus servituti* non ita proprie, ut neque *natus in servitutem, ad servitutem.* Hi sunt quasi natura facti et idonei ad servitutem tolerandam. Cicero Prov. Cons. 5. *Iudaei et Syri nationes natae servituti.* Propert. I. VI. 20. *Non ego sum laudi, non natus idoneus armis,* natus idoneus, nam et nascuntur minus idonei, sed qui studio fiunt. Formulam *in* et *ad servitutem nasci* explicavit Cort. ad Lucan. VII. 643. *Quid meruere nepotes In regnum nasci?* ut regnum tolerent, ut regerentur. Idem ad Sallust. Iug. XXXI. 11. loco ad Tacitum illustrandum aptissimo: *Servi aere parati imperia iniusta dominorum non perferunt: vos, Quirites, imperio nati, aequo animo servitutem toleratis.* Aliud rursum est *natus in regno,* infans patre rege, πορφυρογέννητος Constantinopoli.

Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. Nos liberi nati sumus, atque ita semel et in perpetuum

suam quotidie emit, quotidie pascit. Ac sicut in familia recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles

libertatem accepimus, sed animo tam aequo et inerti toleramus servitutem, ut eam quotidie dominis pascendis emere videamur. Liv. XXIX. 17. ubi in simili fere querela Locrensis accusat Pleminium, legatum Romanum: *Nunc omnes centuriones militesque vestros (adeo in promiscuo licentiam atque improbitatem esse voluit) Pleminius fecit: omnes rapiunt, spoliant, verberant, vulnerant, occidunt: constuprant matronas, virgines, ingenuos, raptos ex complexu parentum. Quotidie capitur urbs, quotidie diripitur.* Praeterea duo sunt scriptores, quos hunc locum Taciti ante oculos habuisse diceres. Salvianum lib. VI. iam laudavit Lipsius: Salvianus queritur Romanos barbaris *tributa* pendere, quae vocabant *munera: dicimus donum esse, quod pretium est, et quidem pretium conditionis durissimae ac miserrimae. Omnes quippe captivi, cum semel redempti fuerint, libertate potiuntur: nos semper redimimur, et nunquam liberi sumus.* Addo Dion. Cass. LXIII. 3. in oratione, quam tribuit reginae Britannorum Baudiceae: *Οὐ τῶν μὲν πλείστων καὶ μεγίστων κτημάτων ὅλων ἐστερήμεθα, τῶν δὲ λοιπῶν τέλη καταβάλλομεν; οὐ πρὸς τῷ τἆλλα πάντα καὶ νέμειν καὶ γεωργεῖν ἐκείνοις, καὶ τῶν σωμάτων αὐτῶν δασμὸν ἐτήσιον φέρομεν; καὶ πόσῳ κρεῖττον ἦν, ἅπαξ τισὶ πεπρᾶσθαι μᾶλλον, ἢ μετὰ κενῶν ἐλευθερίας ὀνομάτων κατ' ἔτος λυτροῦσθαι;* Si tamen consideramus verba Salviani, *omnes captivi* sq. et Dionis *πόσῳ κρεῖττον ἦν* κ. λ. credas fere eos in Tacito non vidisse *nata servituti*, neque legisse *emit*, sed *redimit*. *Mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur. Britannia servitutem suam quotidie redimit, quotidie pascit.* Sic *mancipia* sunt *captivi*, ut revera erant Britanni, sed nondum ita vocabantur: captivi autem *redimuntur*, quod est Dionis *λυτροῦσθαι*, non *nata servituti mancipia:* et sic Ambros. Oper. T. II. p. 160. *Tolerabilius tamen mancipia veneunt, quae saepe sibi dominos eligunt.*

Sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur. Non intelligo, quomodo haec inter se conveniant: *ut recentissimus est ludibrio, sic nos novi petimur in excidium.* Distinguendum equidem puto: *Ac, sicut in familia recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sic, in hoc orbis terrarum vetere famulatu, novi nos et viles.* Verba *in exitium petimur* incipiunt novam sententiam, quae explicatur in sq. *neque enim arva* sq. In *sic novi nos et viles* cogitatur *sumus ludibrio.* Verbum in apodosi comparationis saepe omittitur. Tacit. Agric. 2. *Et sicut vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute.* Wexius: »*Novi* spectat ad cruciatus, quos perpessuri sint a conservis, *viles* ad incuriam dominorum referendum, qui nihil curaturi sint, si cruciatibus perierint; nullam enim se praebere illis utilitatem, ut sibi parcere operae pretium videatur." *Novi*, puto, et *recentissimus quisque*, *viles* et *ludibrio* habiti hic idem significant. *Vilis tibi sum*, est, *tu me non curas*, despicis, nullius pretii ducis, irrides. Ita cernitur similitudo inter servos proprie dictos, et Caledonios, veteri populo-

in excidium petimur. Neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus; et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniae tandem sumite animum, tam quibus salus quam quibus gloria carissima est. Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, ac, nisi felicitas in socordiam

lorum famulatui adiectos. Nulla fere usquam fuit hominum in collegium coniunctorum societas, quin, qui novitii accesserint, aliquamdiu ludus et iocus fuerint vetustioribus, et tamquam viliores tractati. Qui prohibere possunt, ludibria non prohibent, quippe ipsa tandem cessatura, ad cruciatus tamen letales progredi non patiuntur. Sua ipsorum utilitas vetat.

Aut portus, quibus exercendis reservemur. Si Tacitus scripsisset *aut artes,* equidem facilius intelligerem quam *portus.* Nos non tenemus, exercemus artem aliquam, qua Romanis utiles aut iucundi esse possimus. Nulla nos nostra opera iis prodesse possumus, nisi in arvis aut metallis. Sed ea non sunt in Caledonia. *Nobis non sunt artes*, ut Virg. Aen. VI. 833. *Hae tibi erunt artes,* ô Romane, populos vincere, non, pulchras statuas facere. Tacit. Annal. III. 66. *Iunio Othoni literarum ludum exercere vetus ars fuit. Portus exercere* sic explicatum est a Wexio: „*Portus exercere* dicuntur Romani, quia alibi portubus utuntur ad vectigalia et portoria exigenda. Iam, quum navigantibus, quibus hoc vectigal imponitur, praestanda sint varia officia in navibus in portum deducendis, in saburra vel gravandis vel levandis, aliisque ministeriis, multaque sint in portu reparanda, moles, aggeres fluctibus obiiciendi: ad ista omnia utebantur indigenarum opera." Ego dubito an in sola hac formula *exercere portus* cuncta ista sic complecti per Latinitatem liceat; et servi exercent arva et metalla, opus faciunt in arvis et metallis, in locis ipsis. *Portus exercent* ita significat, opus faciunt in portubus, eos, si angustiores sint, dilatant, minus profundos effodiunt, arenis obstructos exhauriunt, algis et sordibus purgant.

Exuere iugum potuere. Tantum valuerunt, ut exurere coloniam, expugnare castra potuerint, et iugum exuere potuissent. In *posse* est incitamentum ad aemulationem. Virgil. Aen. I. 39. *Pallasne exurere classem Argivôm, atque ipsos potuit submergere ponto.* Liv. I. 47. *Quum Tanaquil peregrina mulier tantum moliri potuisset animo, ipsa regio semine orta, nullum momentum haberet.*

In libertatem non in poenitentiam laturi. Sic Mss. Vaticana. Puteolanus *in praesentiam.* Rhenan. *et libertatem in praesentia laturi.* Muretus: *et in libertatem, non in populi Romani servitutem nati.* Lipsius: *libertatem non in praesenti ablaturi.* Broterius: *et in libertatem, non in praedam certaturi, primo statim congressu vivide ostendamus.* Ernestus: *et libertatem in praemium* (seu *praemio*) *laturi.* Dahl. *non in praesens vindicaturi.* Halm. *non in poenitentiam vindicaturi.* Wexius: *et in libertatem non in poenitentiam laboraturi;* vel: *et in libertatem non*

vertisset, exuere iugum potuere; nos integri et indomiti et in libertatem non in poenitentiam laturi, primo statim congressu ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.

XXXII. An eandem Romanis in bello virtutem quam in pace lasciviam adesse creditis? Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt; quem, contractum ex diversissimis gentibus, ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent, nisi Gallos et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostes quam servos,

in poenitentiam arma laturi. Mihi in mentem venerat: *nos integri et indomiti, nec libertatem impune tentatam laturi.* Romani nos aggrediuntur, ut in servitutem redigant. Iniuriam non sinemus inultam, nec libertatem impune tentatam esse patiemur. *Tentare* est, ipso facto aggredi. Cf. Oudend. ad Sueton. Claud. 17. neque *abstinentiam* alicuius *tentare* sim. aliud est, quam *aggredi. Laturi,* ut Histor. II. 71. *Marinum, destinatum a Galba consulem, distulit, nulla offensa, sed mitem et iniuriam segniter laturum.* Idem, quod ego, excogitaverat Feilitzschius. Nunc et pro *laturi* coniicit *ulturi.*

Vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt. Id est *vitia* hostium suorum, qui hostes sumus ipsi, ergo nostra vitia. Muretus volebat *nostra* legi pro *hostium.* Frustra. Tacit. Annal. II. II. 15. *Hos esse Romanos, quorum pars onusta vulneribus terga, pars fluctibus et procellis fractos artus, infensis rursum hostibus, adversis diis obiiciant.* Ibi *hostes* dicuntur ipsi Germani, quorum dux Arminius loquitur. Agric. 36. *Densis tamen hostium agminibus haerebant.* Gronovius annotat: "Non placet ipsum Romanum hic *hostes* appellare, quasi respectu ad Britannos habito. Multo commodius videtur, ut legamus cum Mureto *nostra.*" Sed Gronovius non recordabatur Livium suum saepe ita loqui: III. 63. *Sabini fusi per agros castra hosti ad praedam relinquunt.* VIII. 38. XXIV. 20. XXVI. 41. ubi Scipio: *Hannibal nihil iam maius precatur Deos, quam ut incolumi cedere atque abire ex hostium terra liceat.* Quod ad sententiam attinet, similis est illa Planci in Ciceron. Epist. ad Famil. X. 14. *Ne inter aliena vitia hae gentes nostra mala suam putent occasionem.* Cf. Cort. non oblitus h. l. Taciti.

Dominationi alienae sanguinem commodent. Verbum *commodare* illustravit Cort. ad Lucan. I. 83. Proxime accedunt ista *manus* alicui *commodare,* de quo interpretes ad Plinii Panegyr. 71.

Diutius tamen hostes quam servos. Proprium erat dicere: *quam amicos.* Amici saltem videntur, qui Romanis sanguinem commodant. Opponuntur ita apud Liv. XXV. 29. *Diutius ille multo amicus fuit, quam hic hostis.* Sed invidiose Britannos appellat *servos.* In *diutius* est quaedam difficultas. Calgacus loquitur de Britannis nunc pro Romana dominatione militantibus. Fuerint diutius hostes. Haec non est caussa, cur non esse potuerint amici. Sententia talis neque universa neque in hac caussa est vera.

fide et affectu teneri putatis. Metus ac terror est, infirma vincla caritatis; quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt;

Firmissimi solent esse amici, qui constantes olim fuerunt inimici, ut animadvertit Nepos in Lysandro 2. et Tacitus Hist. I. 2. narrat Celsum, *constanter servatae erga Galbam fidei* crimen confessum, exemplum Othoni ultro imputasse. Neque in hac caussa *diuturnitas* multum valet, ut ex ea odium probetur. Legimus in Agric. cap. 29. eum exercitui *ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addidisse*. Iam Calgacus quidem loquitur, sed, quod eum loquentem facit Tacitus, tamen habet rationem. Melius certe dixisset: *verius tamen hostes quam servos;* revera tamen magis hostes, quam amicos seu servos, quia metu in officio continentur. Meo tamen sensu omnis oratio longe concinnior foret, si ista, quae parum ad rem pertinent, delerentur, ac tantum legeretur: *nisi Gallos et Germanos, et, pudet dictu, Britannorum plerosque, fide et affectu teneri putatis.*

Metus ac terror est, infirma vincla caritatis. Beroaldus *sunt*. Mihi universe dictum videtur, ac legendum: *Metus ac terror infirma vincla caritatis.* Verbum *sunt*, ut in sententia, omittitur. *Vincla* in Vatic.

Quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Et haec dicuntur e generali sententia; propius tamen ad rem praesentem per futurum accommodantur. Annal. IV. 3. *neque femina, amissa pudicitia, alia abnuerit.* Sed quem quis timet, hunc nunquam amat, semper odit. Hoc et proprium est naturae humanae, et multis scriptorum testimoniis expressum. Exposui nuper ad Horatii Satir. II. p. 91. *Quem sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit;* ut legendum putavi pro *Quum sibi* sq. Quamdiu autem timentes sunt in potestate *terrentium*, oderunt *clam*, *occulte.* Minut. Felix Octav. p. 255. *Odium nostri ferunt occulte per timorem. Naturale est enim et odisse quem timeas, et quem metueris (timueris) infestare, si possis.* Perspicuitas in Tacito fere additum postulabat *palam: palam odisse incipient*; clam enim semper oderunt. Miror non scripsisse auctorem: *qui timere desierint, terrori esse incipient.* Sallustius B. Iug. 31. *Nunc timetis, quibus decet terrori esse.* Lucan. V. 237. *Dum quisque pavet, quibus ipse pavori est. Timere* quoque et *timeri* in hac re usitantur. Lucan. V. 317. *meruitque timeri Non metuens.* Plin. Panegyr. 35. *Timeantque quantum timebantur.* Sidon. Apollin. Epist. V. 7. *Hi sunt, quos timent etiam, qui timentur.* Spartian. in Pascen. Nigro 3. *Militem quamdiu timueris, non timeberis.* Volcat. Gallicanus in Avidio Cassio 4. *Conquiescentibus cunctis, meruit timeri, quia non timuit.* Ita et Tacitus potuisset: *qui timeri desierint timere incipient.*

Aut nulla plerisque patria aut alia est. Ernestus: „quibus nulla patria, sunt Britanni, Romanis partibus addicti." Equidem ad Romanos, exceptis aliarum gentium auxiliis, referendum censeo. Suadent ista, quae proxime antecedunt: *nullae Romanos coniuges accendunt,* sq. et quae deinde separatim de Gallis, Germanis, Britannis dicuntur. Plerisque Romanis, ait, nulla est patria, ita dicta, vero nomine dicta; solum natale, in quo parentes, uxores, liberi, consangui-

nullae Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi sunt; aut nulla plerisque patria aut alia est. Paucos numero, trepidos ignorantia, coelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos dii nobis tradiderunt. Ne terreat vanus

nei, amici, leges, instituta, memoria maiorum, alia. Iam ab ineunte adolescentia peregre militantes, tandem in eam veniunt opinionem, patriam esse, ubicunque bene est. Illud *bene esse* fit eorum patria. Hoc Lysias Orat. contra Philonem p. 236. ed. Cobet. sic expressit: *καὶ γὰρ οἳ φύσει μὲν πολῖταί εἰσι, γνώμῃ δὲ χρῶνται ὡς πᾶσα γῆ πατρὶς αὐτοῖς ἐστιν ἐν ᾗ ἂν τἀπιτήδεια ἔχωσιν, οὗτοι δῆλοί εἰσιν ὅτι ἄν, παρέντες τὸ τῆς πόλεως κοινὸν ἀγαθὸν, ἐπὶ τὸ ἑαυτῶν ἴδιον κέρδος ἔλθοιεν, διὰ τὸ μὴ τὴν πόλιν ἀλλὰ τὴν οὐσίαν πατρίδα ἑαυτοῖς ἡγεῖσθαι.* q. l. illustravit Muretus in Var. Lect. III. 3. Sunt etiam Romani, quibus *alia patria* est *ἄλλη, ξένη.* Hi natalis soli immemores iamque obliti, peregre, in ipsa quoque Britannia, aliquid sibi reperisse videntur, quod patriam existimant et appellant, in qua, emeritis stipendiis, in otia tuta recedentes, in proprio lare vivere et consenescere et mori sperant: Romani quidem natura, sed vera patria quasi eiurata, alia sumta. Ita fieri solebat. Tacit. Annal. XIV. 27. *Veterani Tarentum et Antium adscripti: non tamen infrequentiae locorum subvenire, dilapsis pluribus in provincias, in quibus stipendia expleverant: neque coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti, orbas sine posteris domos relinquebant. Non enim, ut olim, universae legiones deducebantur, cum tribunis et centurionibus, et sui cuiusque ordinis militibus, ut consensu et caritate rempublicam efficerent.* sq. Histor. II. 80. *Quin et provinciales sueto militum contubernio gaudebant, plerique necessitudinibus et propinquitatibus mixti; et militibus vetustate stipendiorum nota et familiaria castra in modum penatium diligebantur.* Wexius accipit de Batavis, Gallis, Germanis, qui, cum habeant patriam, nunc certe in hoc Britannico bello non pro patria pugnent. Kritz. „*Nullam* patriam habere dicuntur ex Romanis, *qui domi nihil habent, quod iis carum sit, et pro quo pugnent*, nullum larem familiarem, nullos agros, nullas coniuges atque liberos. *Aliam* habent, qui non *Romani* sunt, sed exterarum nationum; quare, quum in Romano exercitu merent, non pro sua patria pugnant, sed pro *alieno* imperio."

Ignota omnia circumspectantes. Coelum, mare, silvae, omnia ignota sunt. Ea *circumspectant*, ut timidi facere solent, periculum metuentes. Ita Sinon ille apud Virgil. Aen. II. 67. *Namque ut conspectu in medio turbatus, inermis, Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit.* Ernestus pro *circum* coniecerat *civium.* Alii *ignota omnia circum spectantes.*

Clausos quodammodo ac vinctos. In *vinctos tradere* est aliquid proverbiale. Liv. XXII. 59. *Tum denuntianti cuidam iussisse consulem ad pedes descendere equites, dixisse Hannibalem ferunt: quam mallem vinctos mihi traderet.* ubi Plutarch. in Fabio 16, scribens *τοῦτ', ἔφη, μᾶλλον ἠβουλόμην, ἢ εἰ δεδεμένους παρέλαβον*, legisse

aspectus et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus; agnoscent Britanni suam caussam, recordabuntur Galli priorem libertatem, deserent illos ceteri Germani, tamquam nuper Usipetii reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis; vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et iniuste imperantes aegra municipia et discordantia. Hic dux

videtur: *mallem, quam vinctos mihi traderet.* Ambros. Oper. T. II. p. 859. *Si vobis iusserit Ambrosius, vinctum me tradetis.* Valer. Max. VII. 4. *Spoliatam bonis propugnatoribus civitatem tantum non vinctis manibus ei tradidit.* Tacit. Hist. III. 13. *Huc cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut sine proelio, sine vulnere, vinctas manus et capta traderent arma?* Idem I. 79. *velut vincti caedebantur.*

Quod neque tegit neque vulnerat. Sententia ab historicis varie ornata. Eleganter Papirius apud Livium X. 39. *Non enim cristas vulnera facere: et per picta atque aurata scuta transire Romanorum pilum.* Iustin. XI. 13. *Hortatur, spernant illam aciem auro et argento splendentem, in qua plus praedae quam periculi sit; cum victoria non armorum decore, sed ferri virtute quaeratur.* cf. Berneg. et Freinsh. ad Curt. III. 11.

In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus. Hostium, Romanorum, de quibus adhuc solis loquitur: *nostras manus*, milites nostros. cf. Cort. ad Lucan. V. 252. qui h. l. Taciti quoque attulit *nostrae manus*, nobis amicae, fautrices; ut apud poëtas *nostri Dei, venti*, sim. cf. Burm. ad Ovid. Trist. IV. iv. 24. Calgacus mox ostendit cur et quas manus *suas* habituri essent in acie Romana, Britannos scilicet, Gallos et Germanos.

Tamquam nuper Usipetii reliquerunt. Glossator, puto, in margine vel supra lineam posuit *reliquerunt.* Omnino sufficit: *deserent illos ceteri Germani, tamquam nuper Usipetii,* scilicet *deseruerunt.* Nota ellipsis. Agric. 2. *Sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute.*

Aegra municipia. Sic Vaticana. At in margine *mancipia.* Hoc Wexius interpretatur. Ego *municipia* praefero. Una erat colonia Camulodunum, unum municipium, Verulamium. Pluralis, ut notum, in affectu. Si Latini haberent articulum, in hoc plurali omitterent. Cogitatur enim discrimen quod graece est inter ἀποικίαι et αἱ ἀποικίαι. Municipia dicuntur *aegra*, quia in iis regnant discordiae intestinae. Caussae discordiarum in magistratibus; hi iniuste imperant, ergo incolae male parent. Propterea incolae quoque a Romanis deficient. Verba *inter parentes et imperantes* minus pendent ab *aegra*, quam a *discordantia.* Melius putem: *senum coloniae, aegra municipia et inter male parentes et iniuste imperantes discordantia.* Discordiae non semper ex eodem fonte nascuntur. Hic ex iniustitia imperantium. Neque civitates semper *aegrae* dicuntur, quia intestinis discordiis laborant: apparet vel ex Tacito Annal. XI. 23. *Non adeo aegram Italiam, ut senatum suppeditare urbi suae nequiret.* In eo non cogitatur de dissensionibus. Qui Gallis negabant ius honorum adipiscendorum, dicebant, Italiam non adeo inopia virorum la-

hic exercitus; illic tributa et metalla et ceterae servientium poenae, quae in aeternum perferre aut statim ulcisci in hoc campo est. Proinde ituri in aciem et maiores vestros et posteros cogitate.

XXXIII. Excepere orationem alacres, ut barbaris moris,

borare, qui recte senatum supplere possent. Quod ad pluralem istum, *senum coloniae*, in eo proprium nomen plerumque omittitur. Cicero pro Milone 7. *Aut eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis maiorum suorum sit interfectus;* cogitatur via Appia. Tacit. Annal. IV. 7. *Cerni effigiem eius in monumentis Cn. Pompeii,* i. e. in theatro Pompeii. In his, puto, *monumenta* non simpliciter significant *monumentum*, sed loca illustria, quale est monumentum Pompeii. Ernestus ad Taciti Annal. III. 72. annotavit pluralem in hoc verbo etiam de uno tali opere dici. Dubito an recte.

Hic dux, hic exercitus; illic tributa et metalla. Nescio, quomodo ista sibi possint opponi. *Hic dux, hic exercitus* mihi necessario dicta esse videntur contra exercitum Romanum, auro et argento fulgentem, et aciem propter immixtos Britannos, Gallos et Germanos infidam, cetera, ut colonias senum, ut vacua castella, ut aegra municipia. In omnibus istis haud dici potest *esse dux, esse exercitus*. Hic est dux, hic exercitus, vere dux, vere exercitus. Fortasse aliquid excidit, cui opponantur *poenae servientium*, v. c. *hic libertas. Nec quidquam ultra formidinis: vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et iniuste imperantes aegra municipia et discordantia; hic dux, hic exercitus. Hic libertas, illic tributa et metalla et ceterae servientium poenae, quae* sq. Kritzius: „Insigni praegnantium verborum brevitate hic sensus efficitur: in hac parte et dux est legitimus ac patrius, et exercitus validus, unde victoriae spes; in illa, si vincamini, exspectant vos tributa etc."

Illic tributa et metalla. At supra dixit *nobis non sunt metalla*. Ut *tributa* cogitantur solvenda in Caledonia, ita, quod in poenam additur, cogitatur sumendum in Caledonia. Hoc esset v. c. *ibi tributa et vincula. Vincula* servis induntur. German. 25. *Verberare servum ac vinculis et opere coercere rarum.* In Mss. *ibi*. Kritz. de coniectura edidit *illic*, quia *ibi* non magis dici possit ad alteram partem indicandam, quam *hic — is* pro *hic — ille* ad homines diversos designandos.

Servientium poenae. Miseriae quas victi tolerant. Iustin. III. 5. *Cum per annos octoginta gravia servitutis verbera, plerumque et vincula, ceteraque captivitatis mala perpessi essent, post longam poenarum patientiam bellum instaurant.* cf. Gronov. Lucan. VIII. 395. *Sed tua sors melior, quoniam mors ultima poena.* cf. ibi Cort. Tacit. Hist. IV. 32. *Vos autem, Treveri, ceteraeque servientium animae, quod praemium effusi toties sanguinis exspectatis, nisi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, secures, et dominorum ingenia?*

In hoc campo est. Proprie *campo*. Postea *campus* coeptum adhiberi de ipso proelio, ut exercitum *in campum* producere, lituos et *campum* minari: cf. Salmas. ad Vopisci Aurel. 23.

Excepere orationem alacres, ut barbaris moris, cantu. Puteolanus: *alacres et barbari moris cantu.* Hinc Rhenanus: *et fremitu clamoribusque.* Wal-

cantu fremituque et clamoribus dissonis. Iamque agmina, et armorum fulgores ardentissimi cuiusque procursu; simul instruebatur acies, quum Agricola, quamquam laetum et vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit:

therus: *et, ut barbaris moris, cantu* sq. Wexius reputandum monet, alacritatem proditam esse cantu fremituque, quod ipsum in more barbarorum positum erat. Ego *alacres* ex glossa profectum suspicor. *Alacritas* in cantu, fremitu et clamoribus dissonis tanta exprimitur, ut plane supervacuum videatur quidquid addas. Excepere orationem, ut barbaris moris, cantu fremituque et clamoribus dissonis. In vulgato vix deesse potest particula *et*. Cum non legatur in Mss., in iisdem *alacres* non lectum fuisse videtur. Et si effectum consideremus, quem Tacitus orationi Calgaci et Agricolae tribuere voluit, atque etiam veritatis observans debuit, *alacritatem*, eam, quam in Romanis graviter et nervose ostendit, in Britannis non fuisse satis significat. *Excepere orationem, ut barbaris moris.* Scriptores saepe hunc morem barbarorum ita memorant, ut fere appareat eos in animo habuisse illud: *multum clamoris parum lanae.* Ipse clamor *dissonus* indicat non pari animorum ardore sublatum. Varius erat pro ingenio cuiusque. Hic altius, ille submissius, alter incertius clamabat, neque omnes una eademque lingua, quo ipso vehementia iam minuebatur. Voces non congruebant. Liv. IV. 37. *Primo proelio, quod ab Sempronio incaute inconsulteque commissum est, non subsidiis firmata acie, non equite apte locato, concursum est. Clamor indicium primum fuit, quo res inclinatura esset. Excitatior crebriorque ab hoste sublatus, ab Romanis dissonus, impar, segnis, saepe iteratus [incerto clamore] prodidit pavorem animorum.* Idem XXX. 34. *Congruens clamor a Romanis eoque maior et terribilior; dissonae illis, ut gentium multarum discrepantibus linguis, voces.* Nec Tacitus Britannos laudat in *ardentissimi cuiusque procursu.* Effectus orationis ab Agricola habitae longe alius erat: altum silentium; sed eo adhuc alloquente militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. Plane ut apud Homerum Il. *Δ*, 429. *οἱ δ' ἄλλοι ἀκὴν ἴσαν. οὐδέ κε φαίης, Τόσσον λαὸν ἕπεσθαι, ἔχοντ' ἐν στήθεσιν αὐδὴν. Σιγῇ δειδιότες σημάντορας*, qui ita comparare solet ferox silentium Achaeorum cum vano clamore Troianorum.

Accendendum adhuc ratus. Ita Mss. Puteolanus omiserat *accendendum*; quare Lipsius legebat: *acuendum ratus*, aut *incitandum.* Gronov. *militem adhortaturus.* Grotius: *militem adhortatus.* Et notum in hac re *adhortari*, nec vero minus additum *ratus.* Liv. XXI. 25. *Quum instare certamen cerneret, nihil unquam satis dictum praemonitumque ad cohortandos milites ratus.* XXV. 38. *Alloquendos adhortandosque sibi milites ratus.* XXXIII. 3. *Adhortandos milites ratus.*

Ex quo virtute et auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra. Libera republica bella gerebantur auspiciis populi Romani. Populus dabat auspicia ducibus: in principatu bella gerebantur auspiciis Imperatorum, qui, ut iam Horatius dicit, praebebant copias, consilia, et divos. Iam facile in-

Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra Britanniam

telligitur, quid sit vincere auspiciis *imperii Romani;* quid sit *vincere virtute imperii Romani* neque olim intelligebam, neque nunc intelligo. Explicare conabar, *virtute imperii*, constantia, qua a consilio vincendae Britanniae non fuit discessum, sed missi exercitus et arma: cogitabam quoque de verbis ita transponendis: *ex quo auspiciis imperii Romani, virtute, fide atque opera vestra Britanniam vicistis.* Quod certe Latinum est et nulla obscuritate laborat. Dronkius *virtutem* proprie dictam accipit. Wexius, ne quis mecum in *virtute* offenderetur, ostendit Plauti Epidic. III. II. 45. *virtute atque auspicio Epidici cum praeda in castra redeo.* Sed hoc exemplum non simile est exemplo Taciti. Aliud est *virtute et auspicio Epidici*, ducis, aliud *virtute et auspicio imperii.* Neque offenderer, si in Tacito legeretur *virtute et auspiciis Domitiani*, vel *imperatoris*, si nempe Domitianus ipse in Britannia exercitui praefuisset. Nunc Tacitus non dixisset: Britannia *victa* est virtute Domitiani, sed Agricolae, *auspiciis* Domitiani. Tiberius, Annal. III. 47. senatui scripsit de patrato in Gallia bello: *fide atque virtute legatos, se consiliis superfuisse;* simul caussas, cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adiunxit. Adhuc desidero auctoritatem, qua *virtus imperii* confirmetur. Neque Wexius eam formulam comprobare videtur, cum roget: „est ne forsan conferenda dictio *virtute Deum.* Plaut. Aul. II. I. 44. Pers. III. I. 62. Trinum. II. II. 65. Mil. Glor. III. I. 82, 85. Capt. II. II. 74." Ego iam ante annos editionis meae prioris exemplari adscripseram: antiqui duces in allocutionibus rarius memorabant *auspicia*, quia sat notum, cuius auspiciis bellum gereretur. Magis necessarium videbatur temporibus principum, qui *suos* exercitus *suasque* classes habebant. Tiberius eique similes, qui cogitabant, quod Ludovicus XIV dixisse dicitur, *ego sum civitas*, omnem libertatis speciem timebant. Sed, quod antiqui duces in allocutionibus saepe memorabant, erat *Deorum benignitas.* Sensus iste pietatis omnium Romanorum animis erat quasi innatus, quem sensum Livius in Oratione illa Camilli praeclare explicavit. Ipse scilicet optabat ut religio, quam videret spretam et irrisam, rediret. Qui animus Livio erat antiquus, idem erat Tacito, idem Agricolae. Hic dixisset; *Octavus annus est, commilitones, ex quo Deum virtute et auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra Britanniam vicistis.* Antiqua significatio *virtutis* est vis auxiliatrix, qua iuvante aliquid consequimur, unde aliae significationes, *beneficium, benevolentia, benignitas*, cetera ipsa profluunt. Multa exempla sunt apud Plautum, v. c. Aulul. II. I. 43. *Ego virtute Deum et maiorum nostrorum dives sum satis.* Cf. Gronov. in Lection. Plautin. p. 190. In allocutionibus apud Livium *benignitas* Deis, *virtus* militibus tribuitur, ut VIII. 4. *En hoc tempus adest, et virtute vestra, et Deum benignitate vobis datum.* VIII. 13. *Quod bello armisque in Latio agendum fuit, id iam Deum benignitate ac virtute militum ad finem venit.* Et mutata formula I. 28. *Romani, si unquam ante alias ullo in bello fuit, quod primum Diis immortalibus gratias ageretis, deinde vestrae ipsorum virtuti, hesternum id proelium fuit.* Ceterum *fortes et fideles, fidi*,

vicistis. Tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore paene adversus ipsam rerum naturam opus fuit, neque me militum neque vos ducis poenituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos prio-

solenni nomine appellantur milites, in numis quoque: cf. Lindenbrog. ad Ammian. Marcell. XV. p. 34. Gronov. ad Liv. XXVIII. 9. *Operam fortem et fidelem* explicavit: „imperatorum eorumve, quorum auspiciis aut ductu res geritur, virtus et felicitas est; sociorum, legatorum militum virtus et fides." Primum nominasse videtur socios, quia pleraque exempla Liviana ad *socios* pertinent; et vulgo pertinere debent, quum de *fide* ipsorum Romanorum non dubitaretur, laudare adeo minus eam necessarium esset. Agricola autem hic alloquitur et Romanos et socios, quorum opera fideli coniuncta utebatur. Denique quod Ernestus scribebat ad Agric. 19. „nec milites *fideles* dicuntur; ministrorum domesticorum et amicorum illud epitheton est." hoc illi imprudenti sic excidit. Quidquid tamen scripserim et cogitaverim, eo semper revertor, ut melius putem: *auspiciis imperii Romani, virtute, fide atque opera vestra.*

Octavus annus est, ex quo Britanniam vicistis. Numerat, iudice Lipsio, ab introitu suo in provinciam. Sed quid ista *ex quo vicistis?* ni fallor, *postquam vicistis, anno abhinc octavo vicistis.* Atqui non ita est. Britannia enim *victa* dici potest tum demum cum initio anni septimi hostis, velut in aliam insulam, Caledoniam esset remotus. Sic Britannia erat terminus expeditionum, si virtus et gloria Romani nominis pateretur. Et multis expeditionibus opus fuit, antea quam vincendo ad Caledoniam usque pervenissent. Taciti puto: *Octavus annus est, ex quo Britanniam vincitis*, occupati fuistis in pugnando, et quidem feliciter pugnando, ut semper viceritis. Livius IX. 3. *Modo ad hostem pervenire liceat, quem per annos iam prope triginta vincimus.* Lucanus I. 299. *Bellorum o socii, qui mille pericula Martis Mecum, ait, experti, decimo iam vincitis anno.* Tacit. German. 57. *Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, quum primum Cimbrorum audita sunt arma — ex quo si ad alterum Imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur. Tam diu Germania vincitur.* Wexius suspicatur non *VIII annus*, sed *XIII annus* scriptum fuisse, ut recedamus ad eum annum, quo Cerialis cum egregio exercitu in Britanniam venit. *Vicistis* interpretatur, ut ego *vincitis.* usus iisdem Livii et Taciti exemplis, addens etiam Liv. XXI. 45. *Ferocissimos Hispaniae populos vincentes huc venistis.* De anno XIII dubito, quia sequitur: *neque me militum neque vos ducis poenituit.*

Tot expeditionibus — vos ducis poenituit. Edidi locum aliter, quam vulgo, distinctum, ex coniectura, iam in editione mea a. 1826 proposita, i. e. in tot expeditionibus et proeliis, sive opus fuit fortitudine sive patientia, nec me vestrae operae, neque vos ducis poenituit. Similis constructio in his Catulli Carm. 4. *Neque ullius natantis impetum trabis Nequisse praeterire, sive palmulis Opus foret volare, sive linteo.* Dronkius, Wexius et Kritzius hanc distinctionem secuti sunt. Antea coniungebantur: *Tot expeditionibus — opus fuit; neque me* sq.

rum exercituum terminos, finem Britanniae non fama nec rumore, sed castris et armis tenemus. Inventa Britannia et subacta. Equidem saepe in agmine, quum vos paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cuiusque voces audiebam: quando dabitur hostis, quando acies? Veniunt, e

Adversus ipsam rerum naturam. Sallust. B. Iug. 75. *Spe patrandi belli omnes asperitates supervadere, ac naturam etiam ipsam vincere aggreditur.* Manil. I. 763, vocat Ulyssen *Naturae victorem.* Ennodius Panegyr. Theodosii p. 293. *Prima dextris ominibus contra naturam certamina suscipiens, ne resistendi spes relinqueretur inimicis, varias tibi loco principe coeli leges, terrarum munimina, fluminum superbiam subdidisse.*

Inventa Britannia et subacta. Ut mox: *quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt.* Florus II. 3. *Ligures imis Alpium iugis cohaerentes, inter Varum et Macrum flumen, implicitosque dumis silvestribus, maior aliquanto labor erat invenire quam vincere.*

Neque vos ducis poenituit. Eadem orationis forma in Liv. V. 27. *Nec vos fidei nostrae, nec nos imperii vestri poenituit.*

Non fama nec rumore, sed castris et armis tenemus. Fama et rumor plerumque mentiuntur. Ita iam antea legati et exercitus Romani finem Britanniae occupasse narrabantur. Sed occupaverant *fama tantum et rumore*, non castris et armis, non revera. Oratio ironica, fere ut apud Theophrast. Charact. VII. πόλεις τῷ λόγῳ κατὰ κράτος αἱροῦντες. Sic dicuntur *habere ingentes copias*, sed *in epistolis* sim. Wexius in verbo *tenere* duplicem significationem agnoscit: „neque iis adnumerandi sumus, qui Britanniam non adierunt, neque iis, qui ante Claudii tempora fabulas de Britannia audiverunt." Kritzius per Zeugma ad *fama* cogitat *cognovimus.*

Quando dabitur hostis, quando acies? Servavi *acies*, emendationem Rhenani, ab omnibus, credo, receptam. Et sic Valer. Flacc. V. 617. *Quisque suis tum vota Deis et pocula fundit: Dent aciem, dent belligeros superare labores.* In Mss. legitur *quando animus*, unde conieceram: *quando pugnabimus?* Liv. VII. 13. *Te milites tui oramus, ut nobis pugnandi copiam facias.* Verbum *dare* in hac re usitatum. Annal. II. 13. *Incendit ea contumelia legionum iras: veniret dies, daretur pugna.* Iustin. XLII. 1. *Dolentes tantum itineris frustra emensum, cum vel stipendium pro vexatione, vel alium hostem sibi dari poscerent.*

Et vota virtusque in aperto. Pulchre Muretus: *en vota virtusque in aperto.* Liv. VIII. 4. *Si quando unquam consociandi imperii, usurpandae libertatis tempus optastis; en hoc tempus adest, et virtute vestra et Deum benignitate vobis datum.* Virgil. Aen. X. 279. *Quod votis optastis, adest perfringere dextra. In manibus Mars ipse, viri.* Ubi notandum, quod in Ms. reperitur *in manibus Mars ecce, viri.* Wexius putat Acidalium recte Mureto opposuisse, tum verba *veniunt e latebris suis extrusi* non antecedere, sed sequi debuisse.

Atque eadem victis adversa. Fortasse Tacitus verbo *atque* vim adversativam tribuit; alioquin dicerem facilius esse *sed eadem victis adversa*,

latebris suis extrusi, et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria pulchrum ac decorum in frontem, ita fugientibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia aut commeatuum eadem abundantia, sed manus et arma, et in his omnia. Quod ad me

ut Sallust. Catil. 58. *Si vincimus, omnia nobis tuta, commeatus abunde coloniae atque municipia patebunt. Sin metu cesserimus, eadem illa advorsa sient.* Illud *si vincimus* Tacitus mutavit scribens *victoribus.* Ita et Annal. III. 45, memorabat veteres Gallorum glorias, quaeque Romanis adversa intulissent: *quam decora victoribus libertas, quanto intolerantior servitus iterum victis.*

Pulchrum ac decorum in frontem. Curtius IV. 14. Alexandro et Dario tribuit orationes, in quibus manifesta imitationis vestigia apparent. Et conditio rerum, in quibus versabantur Macedones et Persae erat eadem, in qua hic Romani et Britanni. Similitudo non latuit Freinshemium propter duo exempla *reprehensos ex fuga,* et illam comparationem a *feris* desumptam. Roganti *uter ab utro sumpserit?* nemo nunc, credo non responderet, Curtium sumpsisse a Tacito. Curtius in multis aliis exemplis deprehenditur. Quod Tacitus v. c. dixit *e latebris suis extrusi,* hoc ille mutavit *e latebris suis eruti,* minus eleganter, verbo tamen non eodem. Sed mitto haec, quae comparantibus ultro in oculos incurrent. Imitandi studium praesertim in hoc loco cernitur. Apponam quae huc pertinent: Alexanander dicit suis: *pervenisse eo, unde fugere non possent, tot terrarum spatia emensis, tot amnibus montibusque post tergum obiectis, iter in patriam et penates manu esse faciendum.* Rex Darius suis: *nam ne illis* (Macedonibus) *quidem ad fugam locus est; hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet inclusos. Et, quae antea pro illis erant, in contrarium versa sunt.* Quis neget potuisse fieri, ut ille in Tacito viderit: *Nam ut superasse tantum itineris pulchrum ac decorum, ita fugientibus periculosissima in frontem, quae hodie prosperrima post tergum sunt.* Delevi *silvas evasisse, transisse aestuaria,* quae iam memoraverat exceptis *silvis.* Si fugimus, ait, fugiendum est per eadem loca, quibus superatis huc venimus. Ea ut superasse est decorum, ita pro nobis sunt, quia sic habemus munimentum post tergum: sed, si fugimus, habebimus eadem in frontem, et fient periculosissima. Alii aliis modis verba Taciti vel explicare, vel emendare conati sunt. Lipsius *in frontem* interpretatur *in speciem, specie:* Wexius eum statum, quum milites hosti obversi sunt. Ernestus pro *hodie* coniicit *hostibus,* quod sequentia desiderare illi videbantur, nam *eadem,* quo referretur, alias non habere. Vult, puto, Agricola: Viam per paludes, montes et flumina invenire et in Caledoniam penetrare potuimus, atque adeo cognovimus. Sed eadem via redire, hoc opus. hic labor erit. Neque abundantia commeatuum, quae fuit intrantibus, eadem est exeuntibus. Sed, quod idem est, sunt manus et arma. In

attinet, iam pridem mihi decretum est neque exercitus neque ducis terga tuta esse. Proinde et honesta mors turpi vita potior, et incolumitas ac decus eodem loco sita sunt; neç inglorium fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse.

XXXIV. Si novae gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer; nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Hi sunt, quos

eo notitia locorum, abundantia commeatuum, in eo sunt omnia.

Manus et arma. Livius IV. 82. *Eosdem et Romanos et hostes esse, qui per tot saecula fuerint. Eosdem animos, easdem corporis vires, eadem arma gerere.* XXII. 29. *Quorum vos arma dextraeque texerunt.* XXV. 6. *Resides et segnes, tamquam nec manus nec arma habeamus.*

Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est. Livius II. 45. *Itaque certum atque decretum est, non dare signum, nisi victores se redituros ex hac pugna iurent.* Fabius pro imperio secum constituere, sibi decernere poterat, *non dare signum;* Agricola decernere non poterat *terga exercitus et ducis non esse tuta.* Poterat fortasse, si v. c. in consilio militari ageretur, essetne tutius recedere an resistere. Livius III. 62. *Quod ad me attinet, id consilii animique habiturus sum, quod vos, milites, mihi effeceritis.* ibi recte se haberet: *id decretum mihi erit.* Sed *exercitus et ducis terga non tuta sunt*, est sententia, saepe a belli peritis et historiarum scriptoribus celebrata. Agricola hoc iam pridem ex historiis didicerat; quod ita discimus et exemplis nostrae memoriae confirmatum vidimus, hoc tamquam certo cognitum, verum, accipimus. Latinum erat: *iam pridem mihi compertum est.* Sallust. Iug. 13. *De iis haud facile compertum narraverim.* ubi Cort. „proprie de iis dicitur, quae aliis auctoribus cognoscimus." Cf. idem ad Catil. 57. *Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere.* Sallustius non scripsisset: *decretum habeo.* Kritzius verba Taciti interpretatur: „putavi, mihi persuasum est. v. ad Sallust. Catil. IV." Fortasse ibi decretum similibus exemplis illustravit. Equidem adhuc nullum vidi, in quo sic, pro *putavi, mihi persuasum est* positum sit.

Honesta mors turpi vita potior. Histor. IV. 58. *Mortemque in tot malis hostium, ut finem miseriarum, exspecto.* ubi legam: *mortemque in tot malis, honestum ut finem miseriarum, exspecto.*

Hi sunt. Ita iam olim correxeram, cum vulgo legeretur *ii sunt.* In Vaticanis esse *hi* iam compertum est. Adhortatio, ex victoria ab iisdem hostibus antea reportata, saepe a ducibus adhibetur. Sallust. Iug. 49. *Cum his certamen fore, quos antea victos sub iugum miserint.* Caesar B. G. I. 9. *Hos esse Germanos, quibuscum saepe numero congressi Helvetii superassent.* Liv. XXVII. 13. *Nempe iidem sunt hi hostes, quos vincendo absumpsistis.* XXXIII. 8. *Simul admonens, cum iisdem Macedonibus pugnaturos, quos ad Epiri fauces expulissent acieque expugnassent; cum iis, quos P. Sulpitii prius ductu vicissent.* Tacit. Annal. II. 15. *Hos esse Romanos, Variani*

proximo anno unam legionem furto noctis aggressos clamore debellastis; hi ceterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tam diu superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pellebantur, sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavo-

exercitus fugacissimos. Sed in huiusmodi exemplis, ut recte disputat Wexius, videndum, utrum *hi* sit subiectum an praedicatum.

Furto noctis. Nota sunt *furta belli,* opposita proeliis *manifestis*, ut Graecum *κλέπτειν.* cf. Tennul. ad Frontin. Strateg. II. v. 32. et Dresemius ad Ios. Iscanum V. 11.

Contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pellebantur. Rhenanus pro *ruere* correxerat *robore.* Puteolanus *pelluntur.* Infinitivi coniunguntur quidem cum indicativis, ut Sallust. Catil. 21. *Maledictis increpat omnes bonos. Suorum unumquemque nominans laudare.* Cf. Cort. Tacit. Annal. XII. 51. *Ubi quati uterus et viscera vibrantur.* Cf. Ernest. et Dronkius ad h. l. Sed ita coniuncti per *quomodo* mihi dictio insolita videtur. Et *pellebantur* fere nos eo ducit, ut Agricola militibus in memoriam revocet, quod ipsi viderant. Conieci: *Quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere videbamus, inertia ipso agminis sono pellebantur.* Quum penetrabamus nuper silvas et saltus, videbamus fortissima animalia contra ruere, inertia ipso sono pellebantur: *pavida* propter *inertia* non desidero. Virgil. Aen. IV. 38. *Spumantemque dari pecora inter inertia votis Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.* Kritzius quoque defendit *pellebantur*, et *ruere* accipit pro *ruerunt.* Wexius legit *pelli solent.* "Si Puteolani scriptura *pelluntur*, ait, aliquam haberet auctoritatem, tum pro *ruere* suspicarer *ruet.* Non licet enim *ruĕre* suspicari, quia Latini, etsi dicunt *optimus quisque — moriuntur*, non tamen eodem modo *optimus quisque homo — moriuntur* unquam dixerunt. "Hoc Kritzius ita refutat: "Sed quamquam usu evaluit, ut *quisque* tantummodo substantivi loco cum superlativo coniunctum (velut *fortissimus quisque*) pluralem verbi regere soleat, tamen ratio grammatica excogitari nequit, cur non idem liceat, si *quisque* substantivo iunctum sit." Fortasse et ego aliquando tale argumentum adhibui, parum tamen valere arbitror. Usus nimirum regnat. Ceterum et Kritzius interpretatur *penetrantibus*, sc. nobis, de ipso itinere Agricolae per silvas saltusque facto.

Ipso agminis sono. Vel sono *αὐτῷ, αὐτῷ μόνῳ.* Cicero pro Caecina 15. *Saepe clamore ipso militum adspectuque signorum magnas copias pulsas esse audivimus.* Imitatio Curtii III. 8. iam a Freinshemio annotata est: *Terribilem antea regem, absentia sua ad vanam fiduciam elatum, posteaquam adventare se senserit, cautum pro temerario factum, delituisse inter angustias saltus, ritu ignobilium ferarum, quae strepitu praetereuntium audito silvarum latebris se occuluerunt.* Dicit Tacitus *agminis sono,* i. e. exercitus in agmine, in itinere.

Reliquus est numerus ignavorum et metuentium. Distinguo: *Reliquus est numerus, ignavorum et metuentium.*

rum et metuentium. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt; novissimae res et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem,

Reliqui sunt numerus, ἀριθμός, quippe ignavi tantum et metuentes, nullius pretii. Horat. Epist. I. II. 27. *Nos numerus sumus.* Iustin. V. 6. *Armantur senes aut impuberes pueri, et numerus militum sine exercitus robore expletur.* Tacit. Annal. XIV. 27. *Ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti; numerus magis quam colonia.* II. 80. *Piso desertores tirones, servitia, auxilia Cilicum, in numerum legionis composuerat.*

Quos quod tandem invenistis. Optime Beckerus: quod ad illud attinet, quod invenistis. Phaedrus Fab. II. 4. *Nam fodere terram quod vides quotidie Aprum insidiosum, quercum vult evertere.* Dixi nonnulla in Biblioth. Critica Nova Vol. II. p. 24.

Novissimae res et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis. Coniecturae feruntur, Dronkii *novissime et extremo metu;* Beckeri *novissime ergo et extremo metu corpora defixere aciem.* Bezzenberg. *novissimi haesere et extremo metu ac torpore defixere aciem.* Wexii *novissimae res extremo metu corpora defixere in his vestigiis.* Kritzius servat scripturam Vatic. et interpretatur: „Britanni in desperatis rebus suis tantoque metu, ut quasi animo amisso corpora tantum videantur, defixere aciem, i. e. immotam reddidere aciem, stant immoti in acie." Mihi in mentem venerat: *Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt vobis inertes. Extremo metu corpora defixere acie* sq. Ignavi illi et metuentes, ut inertia pecora, fugiebant. Sed iam a vobis deprehensi sunt. Ergo in metu extremo defixerunt corpora in acie; *corpora*, non *animos:* stant quasi stipites, timore defixi. Liv. XXVIII. 13. *Non equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, nec cum Romanis militibus; corpora tantum atque arma eadem sunt. An si eosdem animos habuissetis, terga vestra vidisset hostis?* XXI. 33. *Utraque simul obiecta res oculis animisque immobiles eos parumper defixit.* Apollon. Rhodius Argon. III. 965. *Γούνατα δ' οὔτ' ὀπίσω, οὔτε προπάροιθεν ἀεῖραι Ἔστενεν, ἀλλ' ὑπένερθε πάγη πόδας.* Cf. Burm. ad Valer. Flacc. IV. 226.

In his vestigiis. Quando *vestigia* significant *locum*, quem quis tenet, hoc cernitur in exemplis a nostro diversis. Hic praesertim referenda essent ad *metum*, quo *iisdem* vestigiis essent affixi, in *iisdem* haererent, suo de vestigio nusquam moverent. Ita Curtius IV. 14. *Reprehensos ex fuga Persas pugnaturos, quia fugere non possent; tertium diem iam metu exsangues, armis suis oneratos, in eodem vestigio haerere.* Legam potius: *in his fastigiis.* Acies Britannorum in locis *editioribus* constiterat, ut narratur cap. 35. Victoria *spectabilis* est in monte, cuius *fastigia* dux Romanus dextra ostendebat. Acclivitas montis fit per varia *fastigia*, mollia non mollia, donec in summa perveniatur.

Imponite quinquaginta annis ma-

approbate rei publicae nunquam exercitui imputari potuisse aut moras belli aut caussas rebellandi.

XXXV. Et alloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. Instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo millium erant, mediam aciem firmarent, equitum tria millia cornibus affunderentur. Legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellandi, et auxilium, si pellerentur.

gnum diem. Et *transigite* et *imponite* habet notionem *finiendi:* *παντὶ ἤδη τῷ πολέμῳ τέλος ἐπιθεῖναι*, ut dicebat Augustus in simili oratione apud Dion. Cass. L. 30. Sed in *imponite* proprie aliud cogitatur, quam *diem et finem.* Fortasse respicitur in ista formula ad consuetudinem nautarum, qui finito itinere puppes coronant. Virgil. Georg. I. 305, *Ceu pressae quum iam portum tetigere carinae, Puppibus et laeti nautae imposuere coronas.* Romani quinquaginta annos in vincenda Britannia consumpserunt. Culpa non est tribuenda militibus. Hi semper fuere tales, quales decet esse Romanos. Tales et vos fuistis, et estote hodie. Annis quinquaginta diem gloriosum, gloriosam victoriam, tamquam coronam imponite. *Dies* de facto gravis momenti frequentatur. v. Gronov. ad Iustin. IX. 3. *Hic dies universae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatem finivit.* Vell. Patere. II. 35. *Ille dies senatus, quo haec acta sunt;* ubi Ruhnkenius turpissimam glossam, *quo haec acta sunt*, sustulit. Ceterum *summa dies* apud poëtas est *ultima*, *mors*, *interitus*, non idem quod *magnus dies.* Male nonnulli confuderunt ad Ovid. Amor. III. IX. 27.

Aut moras belli aut caussas rebellandi. In edit. Rhenani legitur *debellandi.* Recte tribuitur errori typothetae. Nam ipse in annotatione explicat *rebellandi.* Si correxisset *debellandi*, legisset, credo: *aut caussas belli, aut moras debellandi.* Neutrius certe rei caussa erat exercitus, sed, quod Agricola tacet, nec verecundia dicere sinebat, praefecti, quales Trebellius Maximus et Bolanus. His militum lascivia petulantia et inertia, belli caussae et morae finiendi, erant imputandae. Quod Agricola silentio praeterit, hoc Tacitus iam narraverat cap. 16. Recte autem dicuntur *caussae belli* pro *rebellandi*, cur semper rebellarent. Agricola, cap. 19, per aliena experimenta didicerat, *parum profici armis, si iniuriae sequerentur, caussas bellorum statuit excidere.*

Instinctos ruentesque ita disposuit. Coniecturam Lipsii *instructos* iam alii refutarunt. *Instructos disposuit*, et *dispositos instruxit*, est tautologum. *Ruere* de ruentibus *in bella*, *in pugnam* exemplis illustravit Cort. ad Lucan. I. 254.

Ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellandi. Legendum puto: *ingens victori decus citra Romanum sanguinem debellanti.* Legiones pro vallo stetere, exspectantes tantum pugnae eventum, non ipsae pugnantes. Copiae auxiliatrices non melius ad virtutem et victoriam incitari poterant. Quietus iste legionum status

Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat ita, ut primum agmen aequo, ceteri per acclive iugum connexi velut insurgerent; media campi covin-

pro vallo, erat ingens decus victori Gallo et Germano, si vincerent sine opera et sanguine Romano, documentum se sine Romanis posse vincere, et *debellare*, bello, hac pugna feliciter pugnata, finem imponere. *Victori* et *debellanti* per hypothesin, mox, mutata constructione, *si pellerentur*, quod exprimere potuisset, servata constructione, *et auxilium pulsis*. *Victori* bene adiungitur *si vincerentur*, quia in *victore* est cogitatio collectiva: imo pluralis fere postulatur, quia hic non bene dictum foret *si victor vinceretur*. Retuli *decus* ad octo millia peditum et tria millia equitum barbarorum. Omnes, ni fallor, interpretes retulerunt *decus* ad Agricolam, et Kritzius: "quippe seposuerat legiones Agricola, ut, *si sine iis victoria reportata foret*, eo ingens decus victoriae adderetur; nam civium sanguini in bellando parcere summa ducis laus." Credo equidem, sed, si illud *parcere* fieri possit sine dedecore: ita parcere, ut ista auxilia sola periculis obiicerentur, ac propterea ingens victoriae decus adderetur, tale puto, decus neque Agricola decus aestimasset, nec Tacitus laudasset. Exempla quaedam ostendent, quid velim. In Annal. III. 39. putat *neque aciem neque proelium dici decere, in quo semermes aut palantes trucidati sunt, sine nostro sanguine*. XIV. 23. *Corbulo immistis Hiberis hostilem audaciam externo sanguine ultus est*. hoc dicitur ad contumeliam Mardorum latronum. Digna et duce Germanico et scriptore Tacito vox Annal. I. 43. *Neque Dii sinant, ut Belgarum, quamquam offerentium decus illud et claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniae populos*. Claudian. de B. Gild. 95, idem sentit, tribuens Romae loquenti verba: *in Bocchi regnum sudavit uterque Scipio. Romano vicistis sanguine Mauri*. Bocchus vicit nostro sanguine, nos non sanguine Maurorum vicimus Poenos, sed nostro. Honeste Conon apud Iustin. VI. 3. qui pro Persis contra Lacedaemonios pugnabat, suae tamen patriae magis studebat, quam ita, victis hostibus, recipere conabatur: *eo speciosius, quod ne ipsorum quidem Atheniensium, sed alieni imperii viribus dimicat, pugnaturus periculo regis, victurus praemio patriae*. Semper fuerunt duces, qui socios auxiliares in exercitu suo habentes, eos primis et maximis periculis exposuerunt, neque vero nostra memoria defuerunt; sed nunquam legi aliquem sibi tribuisse laudi, aut illi historicum laudi vertisse, quod victoria sine suorum sanguine esset reportata. Wexius verba *citra Romanum sanguinem bellandi* uncis inclusit, tamquam additamentum prorsus supervacaneum. Inesse putat tautologiam, nam *legiones pro vallo stetere* iam illud significare, neque idem esse *bellare* et *pugnare*; scribendum certe *vincendi*, non *pugnandi*, multo minus *bellandi*. Kritzius: "nam civium sanguini in bellando parcere summa ducis laus." Hoc, puto, verum est, si dux *civem in bello servasset*, qui propterea coronam civicam merebatur. Agricolae, civibus ita servatis, ne Domitianus quidem dedisset. Alio modo servandos cives cogitabat Scipio, cum diceret *malle se unum civem Romanum in bello servare, quam mille hostes perdere:* et

narius eques strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola superante hostium multitudine veritus, ne in frontem simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat, et arcessendas plerique legiones

Caesar, quum in acie Pharsalica proclamaret, *ut civibus parceretur.*

Et auxilium, si pellerentur. Pro *auxilium* mallem *subsidium.* Antecedit *peditum auxilia.* Sic legiones essent *auxilium auxiliis.* Tacitus et alibi distinxit, et *subsidium* melius illi appellantur, ad quos *pulsis* est perfugium, quam in quibus *auxilium.* Annal. XII. 29. *Legionem ipsaque e provincia lecta auxilia pro ripa componeret, subsidio victis, et terrorem adversus victores.* Hist. V. 11. *Iudaei sub ipsos muros struxere aciem, rebus secundis longius ausuri, et, si pellerentur, parato perfugio. Subsidia* plerumque nominantur, qui nullam pugnae partem capessunt, nisi quum necesse sit.

Covinnarius eques. Formatum nomen a *covino* vel *covinno*, ut *essedarii* ab *essedo. Essedum* vox originis Belgicae, *covinnus* Britannicae. Nomen *essedorum* et ipsius vehiculi usus diu ante nomen et usum *covinnorum* innotuit. Hinc factum ut veteres *esseda* vocaverint, quae *covinni* erant vocandi. Hi tempore Claudii sic primum vocati fuisse videntur. Accurate Pompon. Mela III. VI. *Dimicant non equitatu modo, verum et bigis et curribus, Gallice armati, covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Inepte Lucanus I, 426. *Et docilis rector rostrati Belga covini.* Si tamen versus, ut multi in relatione ista Geographica, non sit spurius.

Diductis ordinibus. Hoc est: ne in frontem simul et latera suorum pugnaretur, *ordines diduxit, et stetit. Diduxit ordines* significare debet, ordines ex latioribus fecit longiores, ut ita v. c. e sex ordinibus, connexa serie altero post alterum stantibus, fierent tres. Sic Frontin. Strateg. II. III. 12. *Cleandridas Lacedaemonius adversus Lucanos densam instruxit aciem, ut longe minoris exercitus speciem praeberet. Securis deinde hostibus, in ipso certamine diduxit ordines, et a lateribus circumventos eos fudit.* Idem multo facilius exprimeretur legendo: *diductis cornibus.* Duo exempla Liviana ostendent: XXXI. 21. *L. Valerio imperat, ut parte duarum legionum equites, altera sociorum equitatum in cornua hostium emittat, nec circumvenire eos aciem patiatur. Simul et ipse, ut extenuatam mediam diductis cornibus aciem Gallorum vidit, signa inferre confertos milites et perrumpere ordines iubet.* V. 38. *Instruunt aciem diductam in cornua, ne circumveniri multitudine hostium possent: nec tamen aequari frontes poterant, quum extenuando, infirmam et vix cohaerentem mediam aciem haberent.*

Quamquam porrectior acies futura erat. Hoc ipsum, ni fallor, Agricola volebat; ideo ordines vel cornua *diduxerat*, ut acies fieret porrectior. Explicari potest quodammodo *porrectior*, nimis porrecta, nimis dilatata, eoque simul minus densa, sed rarior, vanior, magis extenuata. Excidisse aliquid suspicor, quale v. c. *quamquam porrectior acies quam robustior futura erat.* Acies cornibus extentis fiebat longior, sed eo ipso infirmior.

Firmus adversis. Utrum pro *firmus in adversis*, ut Horat. Carm. II. X. *Rebus angustis animosus atque Fortis appare*, (quamquam ibi et ablativus

admonebant, promptior in spem et firmus adversis dimisso equo pedes ante vexilla constitit.

XXXVI. Ac primo congressu eminus certabatur, simulque constantia simul arte Britanni ingentibus gladiis et brevibus

absolutus recte acciperetur) an dative, ut alii explicant, Wexius quoque cum Walchio, conferente Tacit. Annal. XI. 21. *Adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus?* Neutrum mihi placet: atque illud exemplum, ut valet ad probandam constructionis mutatam formam, ita non valet ad probandum *firmus adversis.* Sed dubito an *acies porrectior* sic iam referre liceat ad *res adversas* Agricolae. Sententiae et Latinitati conveniebat: *promptior in spem et firmus adversus metus.* Vox *metus* facile omitti potuit propter similitudinem literarum in voce sequenti *dimisso.* Tacit. Hist. IV. 5. *Constans adversus metus*, et: *firmior adversus fortuita.* II. 82. *Firmus adversus militarem largitionem.* Annal. III. 18. *Firmus adversum pecuniam.* Liv. XXII. 39. *Adversus famam rumoresque hominum si satis firmus steteris.*

Ingentibus gladiis et brevibus cetris. Mox *parva scuta et enormes gladii*, tum *gladii sine mucrone.* Haec de iisdem Britannis sic continuo iterata Taciti esse non possunt. Ego primum non video quid differant *gladii ingentes* et *gladii enormes;* quid *breves cetrae* et *parva* scuta: deinde non video quid hic *ingentes gladii* et *breves cetrae* significent. Ubi eminus certatur, *gladii* nulli sunt usui, neque constantiae et arti prosunt, nisi dicas, eos tam latos fuisse, ut obiecti missilibus fere instar scutorum habeant, vel Britanni missilia adventantia ictu gladiorum transverso defenderent. Cur autem hic Britannis tribuuntur *cetrae*, mox *scuta*, quae proprie non sunt eadem? Maiores quidem *cetrae* erant meliores, quia, quod de milite Romano scribit Livius XXXIV. 39, quum Lacedaemonii missilibus pugnabant, ille se *magnitudine scuti perfacile tuebatur.* Si Tacitus voluisset Britannos arte vitasse missilia, quia se brevibus cetris minus tueri possent, sententiam alio modo instituisset; v. c. *ingenti habitu et brevibus cetris.* Hinc appareret, cur, qui propter corporum magnitudinem et breves cetras magis in vulnera paterent, missilia arte vitarent, nunc se dextrorsum nunc sinistrorsum converterent, modo capita demitterent, modo se humi prosternerent. Suspicor omnia haec esse glossema. Deletis, oratio recte procedit. Ipsa vox *cetra* locum iam facit suspectum. *Cetra* est originis Africanae, et nomine (cf. Voss. ad Caesar. De B. G. I. 1.) et usu, atque inde recepta ab Hispanis. Neque corporis munimen idem, atque *scutum.* Caesar De B. G. I. 39. *Erant* (Afranii) *scutatae citerioris provinciae, et cetratae ulterioris Hispaniae cohortes circiter octoginta.* Differunt igitur. At in glossa non differunt. Wexius in sq. delet *parva scuta et enormes gladios gerentibus.* propter tautologiam.

Vitare vel excutere. Arte utebantur ad missilia *vitanda*, constantia ad *excutienda.* Missilia corporibus alia leviter tantum inhaerent, et parvum vulnus faciunt, adeo ut facile, solo interdum motu, fere instar pulveris *excuti* possint. Ad eam rem haud ita magna *constantia* requiritur, nec vulnus leve impedit, quominus excusso missili, pugnam continuent, et ipsi cum

cetris missilia nostrorum vitare vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere, donec Agricola Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent; quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile, parva scuta et enormes gladios gerentibus. Nam Britannorum gladii sine mucrone

sociis tela superfundant: alia autem missilia non leviter, sed penitus corporibus infixa inhaerent; ea, si non statim sunt letalia, inutiles tamen pugnando faciunt, neque *excutiuntur*, sed *extrahuntur*, *evelluntur*, *velluntur*. Ad eam rem, sive ipsi extrahant, sive a sociis extrahi patiantur, opus est *constantia*. Epaminondas apud Nepot. 9. acceperat mortiferum vulnus: animadvertebat, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, *extraxisset*, animam se statim emissurum; igitur tum demum extraxit, quum ei nuntiatum esset, Boeotios vicisse. Non puto hoc *extrahere* bene Latine dici *excutere*. Fortasse Tacitus scripsit: *Vitare vel excipere*. Alii missilia arte vitabant, eminus in se missa animadvertentes, celeri et apto corporis flexu sibi cavebant; alii missilia ne levissimo quidem motu vitare conabantur, sed magna constantia suum quisque locum et statum tenebat, exponens se missilibus, eaque animo intrepido *excipiens*. Missilia *excipere* est adversa fronte venientia non fugere, vulnera ex iis oritura non timere. Notae sunt formulae *impetum hostium excipere*, et illud ipsum *vulnera excipere*, saepe a librariis mutatum in *accipere*. cf. A. Gronov. ad Iustin. XXXIII, 2. In eo hoc discrimen esse videtur, ut in *accipiendo* vulnere non semper constantia cernatur, in *excipiendo* plerumque: ergo Tacit. Agric. 45. *Constans et libens fatum excepisti*. Ceterum in *vitando* missilia faciebant, Britanni cautiores, quod saepe in proeliis fiebat. Curtius VI. 1. *Undique nunc comminus nunc eminus petebatur: diuque arma circumferens alia tela clypeo excipiebat, corpore alia vitabat*. Wexius: »Vitabant scuto, excutiebant gladio. Cogitandum igitur est, sinistra manu eos gladium tenuisse, a sinistro brachio scutum pependisse, quo missilia vitarent, dextra autem manu ipsos tela emisisse."

Batavorum cohortes ac Tungrorum duas. Sic Vatic. Puteol. *per Batavorum*, unde Rhenanus *tres*. Kritzius intelligit omnes Batavorum cohortes, Tungrorum tantum *duas*. Mihi numerus in *ac* latere videtur, corruptum ex IV. *Batavorum cohortes quatuor, Tungrorum duas*. Particula coniunctiva melius omittitur.

Parva scuta et enormes gladios gerentibus. Wexius haec, uncis inclusa, delenda indicat. Equidem arbitror, ea tam aptam sententiam hic praebere, quam supra *ingentibus gladiis et brevibus cetris* ineptam.

Nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in arto pugnam non tolerabant. Cuncta mihi suspecta videntur. Antecedentia, credo, prorsus sufficiunt, ut ostendatur, quam perniciosa esset talis pugna Britannis, *parva scuta*, *et enormes gladios gerentibus*. In pugna, ubi manus conseruntur, pes pede, vir viro cohaeret, nulla est utilitas in parvis scutis, nulla in enormibus gladiis. *Nam* solenne initium est glossae; *Britanno-*

complexum armorum et in arto pugnam non tolerabant. Igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora fodere, et stratis, qui in aequo adstiterant, erigere in colles aciem coepere, ceterae cohortes aemulatione et impetu connisae proximos quosque caedere; ac plerique semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur. Interim equitum turmae, ut fugere covinnarii, peditum se proelio miscuere, et quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium

rum supervacaneum, cum iam praecesserit *hostibus*, qui non alii sunt quam Britanni; *gladii sine mucrone* ab hoc loco alieni, quia, etiamsi haberent mucrones, eosque vel acutissimos, tamen propter longitudinem essent inutiles, tam caedendo, quam pungendo; *tolerabant* magis glossatori proprium, diu post haec tempora interpretanti Tacitum, quam Tacito aequali temporibus, qui scripsisset, puto, *tolerant*. Gladii et Gallorum et Hispanorum propter illud discrimen erant noti, et ab historicis memorati. Huc inprimis pertinent Livii XXII, 46. *Gallis Hispanisque scuta eiusdem formae fere erant; dispares ac dissimiles gladii: Gallis praelongi, ac sine mucronibus: Hispano punctim magis quam caesim assueto petere hostem, brevitate habiles, et cum mucronibus.* XXVIII. 33. *Scipio pro se esse loci angustias ratus, et quod in arcto pugna Romano aptior quam Hispano militi futura videbatur.*

Igitur ut Batavi. Paullo ante nominavit cohortes Batavorum et Tungrorum. Vix ac ne vix quidem ab iis discessit, narrans tantum cur Britanni tali pugnae essent inhabiles. Tungros, credo, non silentio praeteriisset. Sed neutro nomine opus erat. Credo *Batavos* e glossa profectum. *Ceterae cohortes* sunt omnia auxilia.

Ora fodere, et stratis. In Mss. *foedare et tratis.* Gesn. *fodere;* Ernest. *stratis.* Confirmat locus simillimus Annal. II. 21. *Nec minor Germanis animus, sed genere pugnae et armorum superabantur; cum ingens multitudo artis locis praelongas hastas non protenderet, non colligeret, neque adsultibus et velocitate corporum uteretur, coacta stabile ad proelium: contra miles, cui scutum pectori appressum, et insidens capulo manus, latos barbarorum artus, nuda ora foderet, viamque strage hostium aperiret.* deinde Germanicus orabat: *insisterent caedibus: nil opus captivis. Ora foedare* et *fodere* in Mss. saepe confunduntur. Utrumque Latinum. Fortasse est aliquod discrimen. *Foedare* significat *foedum* adspectu reddere; hoc fit *cruentando*, *lacerando*, *dilacerando*, ut Servius versus Virgilianos interpretatur: *fodere* significat acuto instrumento altum vulnus facere. Os *foedatur* caesim, per diversa vulnera, neque tam cito, quam *foditur*: os *foditur* punctim, uno loco, pugione, gladio cum mucrone, qui ad foedandum minus requiritur. Ad hanc rationem exigi possunt exempla, neque dubitabitur, ubi *foedare* ubi *fodere* melius sit. Hic melius puto *fodere*. Duplex consilium est in *oribus fodiendis*. Hostes ibi et facilius vulnerantur, quam in pectore, cui scuta, quamvis brevia, obtenduntur, et terror celerius per oculos incutitur.

Interim equitum turmae. Pugna haec

agminibus et inaequalibus locis haerebant; minimeque aequa nostris ea iam pugnae facies erat, quum aegre clivo adstan-

sine ordine fuit pugnata: sed neque Agricola Tacito tam sine ordine narrare, nec Tacitus perscribere potuit. Omnia sunt confusa, perturbata, et obscura. Ut aliquam saltem intelligendi speciem nanciscamur, edidi et interpretatus sum, ut Kritzius fecit. In Vatic. *equitum turmae fuge: covinnarii peditum* et cet. *Ut* vel *ubi* excidisse vidit Doederlinus et Halmius, qui etiam interpunctionem emendarunt.

Peditum. Scilicet *Romanorum.*

Et quamquam recentem terrorem intulerant. Et quamquam *inopinato ac repentino impetu* Britannos terruerant, tamen et ipsi aliquantum turbabantur, in densa hostium agmina incidentes et inaequalibus locis impediti.

Minimeque aequa nostris ea iam pugnae facies erat. Vatic. *mieque equestres, ea enim pugnae facies erat.* Rhenanus *minimeque equestris ea p. f. e.* Palmaris Wexii est emendatio *aequa nostris iam*, quam ita secuti sumus, ut *ea*, quod in codd. est, retineremus. Sensus loci est: adventu equitum Romanorum, peditum proelio se immiscentium, nostra acies iam labare coepit.

Aegre clivo adstantes. Vatic. *egra diu aut stante.* Broterius *aegre diu stantes.* Bene emendavit Trillerus *clivo* pro *diu*, nisi quod pro *stantes* scribendum *adstantes.* Nam quum hostium maxima pars per *acclive iugum* insurgeret, in oculos incurrit Romanos, qui illos aggrederetur, non *stetisse in clivo*, sed *adstitisse.* Quod ipsum quum *aegre* facerent, insuper immixtis equitibus suis *impellebantur*, ut locum tenere vix possent. Continent igitur haec verba caussam, cur *minime aequae nostris ea iam pugnae facies esset.* Sic Kritzius, et ante eum Wexius, eodem fere modo hinc sensum efficere conati sunt, intellectu tamen haud sane facilem. Aliter Lipsius, aliter Gronovius, aliter Ernestus. Tacitus tam obscure narrare non potuit, ut divinando assequi nequeamus, quae quorum equitum turmae, quorum peditum proelio se immiscuerint, quid *facies pugnae equestris*, quid *fugere*, quae *agmina hostium*, cetera. Fortasse librarii rectum verborum ordinem turbarunt, quae transposita paullo melius intelligentur: *Interim equitum turmae fugavere covinnarios; minimeque equestris ea pugnae facies erat. Covinnarii peditum se proelio miscuere: et quamquam recentem terrorem intulerant, quum aegre clivo adstantes simul equorum corporibus impellerentur, ac saepe currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursarent, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant.* Ex *fuge* feci *fugavere*, delevi, quod iam Rhenanus fecerat, *enim*, mutavi *incursabant* in *incursarent.* Interim, dum pedites cum peditibus pugnabant, tria millia equitum Romanorum, ab Agricola cornibus affusa, aggrediuntur covinnarios, qui strepitu et discursu media campi complebant. Ea res non gerebatur more pugnae equestris. Nam covinnarii proeliantur curru, desiliunt, et fiunt pedites. Fugati nunc se immiscent proelio peditum Britannorum contra octo millia auxiliorum, cohortes Batavas, Tungras, Germanas, Gallas. His inferunt terrorem subito et insolito impetu. Nec mirum. Nam cohortes se in montem erigere debebant, ac propterea aegre stabant, impellebantur quoque corporibus equo-

tes simul equorum corporibus impellerentur; ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant.

XXXVII. Et Britanni, qui adhuc pugnae expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paulatim et circumire terga vincentium coeperant, ni id ipsum veritus Agricola quatuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius accucurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum, transvectaeque

rum, et currus vagi et equi sine rectoribus ordines nostros transversos aut obvios incursabant turbabantque. Ordines tamen non perrumpebant. Nam densis agminibus hostium et locis inaequalibus haerebant. Pugna adeo Romanis non erat prospera. Accedebat, quod Britanni, adhuc vacui, de monte degrediebantur, et terga cohortium, quae feliciter rem gesserant, circumire incipiebant. Tum Agricola, cum equites, qui fugaverant covinnarios, se nondum collegissent, quatuor alas equitum, ad subita belli retentas, immisit. Quo facto, dubitantes confirmati, pugna restituta, versa fortuna, et consilium Britannorum in ipsos versum est. In Livio locus est, qui cum hoc Taciti comparari meretur, XXII. 47. *Deinde equitum Gallorum Hispanorumque laevum cornu cum dextro Romano concurrit; minime equestris more pugnae: frontibus enim adversis concurrendum erat: quia, nullo circa ad evagandum relicto spatio, hinc amnis hinc peditum acies claudebant in directum utrimque nitentes. Stantibus ac confertis postremo turba equis, vir virum amplexus detrahebat equo, pedestre magna iam ex parte certamen factum erat.* Cf. Tacit. Annal. VI. 35. ibique Lips. Iam si scriptores memoratu dignum putant, quando equites cum equitibus magis pedestri quam equestri more concurrant, quanto magis memoratu dignum erat, si, ut inter equites et covinnarios, plane a more vulgari discedendum esset? *Intulerant recentem terrorem*, tempore et continua vi, quae plerumque est in recenti terrore, ira, dolore sim. Annal. XIV. 23. *Post deleta Artaxata, utendum recenti terrore ratus.* III. 2. *Longo moerore fessum obvii et recentes in dolore anteibant.* I. 41. *Recens dolore et ira.* Et per ablativos absolutos. Annal. II. 84. *Recenti adhuc moestitia.* IV. 15. *Recenti memoria Germanici.* Tacitus amat huiusmodi ablativos, ut Annal. IV. 33. *Igitur, ut olim, plebe valida, vel, cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, et, quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatium ingenia, qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur: sic, converso statu, neque alia rerum, quam si unus imperitet, haec conquiri tradique in rem fuerit.* Pro *neque alia rerum*, quod manifeste corruptum, legendum puto: *neque alio regimine.* Lipsius volebat: *neque alia re Romana.* Ceterum Wexius quoque: „*recens terror est*, qui modo illatus est, ut etiamnunc vim habiturus esse videatur."

Et Britanni. Haec arcte cum ante-

praecepto ducis a fronte pugnantium alae aversam hostium aciem invasere. Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum; sequi, vulnerare, capere, atque eosdem, oblatis aliis, trucidare. Iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare, quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre; passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus, et aliquando etiam victis ira virtusque. Postquam silvis appropinquaverunt, identidem primos sequentium, incautos collecti et locorum ignaros gnari, circumveniebant. Quod ni frequens ubique

cedentibus coniuncta sunt. Efficiunt unam eandemque partem. Novum caput incipiendum erat a verbis: *Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum.*

Consilium — in ipsos versum. Iustin. XIII. 8. *Sed res Eumenem non latuit. Itaque insidiae in insidiatores versae.*

Prout cuique ingenium erat. Liv. VIII. 21. *Prout cuique ingenium erat.* Sallust. Iug. 57. *Pro ingenio quisque.* Tacit. Annal. XIV. 33. *Barbari, pro ingenio quisque, alii preces offerre, quidam deserere vicos.*

Terga praestare. Kritzius insolenter dictum animadvertit pro *praebere, dare.* Nec simile exemplum mihi cognitum est. Cortius ad Lucan. VIII. 615 multa attulit, atque unum hoc in quo dicitur *praestare terga.* In Mss. *praestare* et *praebere* saepissime confunduntur, ut ex Cortio apparet. Et parum abest, quin hic melius putem *terga praebere.* In *praestando* vis quaedam et voluntas inest, inest virtus, qua *caput, pectus* hosti praestamus, non ita in *praebendo*, quod arbitror rectius de *tergis* dici.

Et aliquando etiam victis ira virtusque. Non satis intelligo, quomodo conveniant cum istis: *quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre.* Qui se ita *morti offerunt*, in his, puto, est *ira virtusque.* Cogitavi de transpositione, mutandoque *et* in *ut. Quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre, ut aliquando etiam victis ira virtusque.* Sed haec rursus non conveniunt cum istis: *prout cuique ingenium erat.* Similitudo versus Virgiliani: *Quondam etiam victis redit in praecordia virtus*, neminem fugit, et iam Pichena monuit. Credas fere haec inde a glossatore formata. Et Wexio additamentum videtur alienae manus. Ratio eadem, quam exposui in sententia: *Haud semper errat fama, aliquando et elegit.*

Identidem primos sequentium, incautos collecti et locorum ignaros gnari, circumveniebant. Ita cum Kritzio edidi. Egregia emendatio debetur Halmio. In Vatic. erat: *itē primos sequentium incautos collecti et locorum ignari circumveniunt.* Unde Puteolanus: *collecti primos sequentium incautos et locorum ignaros circumveniunt.* Ego olim conieceram: *tum primos sequentium, incautos collecti et locorum gnari, circumveniebant.* Britanni se rursus colligebant, quod facile erat gnaris locorum, atque ita circumveniebant Romanos incautos, i. e. et exiguo numero et locorum ignaros. Quae significatio simul in *incautos* continetur.

Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo, et, sicubi artiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Ceterum, ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes, rari et vitabundi invicem, longinqua atque avia petiere. Finis se-

Acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Mira hic locutio, pro *aliquod damnum, detrimentum. Vulnus* figurate significat *grave damnum*, et magnum dolorem ex eo nobis illatum. In re bellica cogitatur *clades.* Iam nemo dixerit *aliqua clades*, neque *aliquod vulnus.* Quis autem hic accepisset? Vulgo *acceptum vulnus*, clades, pertinet ad totam rempublicam, vel in regno ad regem. Hic pertinere debebit ad Agricolam, vel exercitum. Neque *Agricola accepit aliquod vulnus*, neque *exercitus accepit*, recte diceretur. Praeterea *vulnus* nunc male lecta vox est. Omnia quae antecedunt, *ora fodere, laceri artus, ictus, caedere, trucidare* proprie significant *vulnera.* Male statim subiungeretur *acceptum vulnus*, de vulnere non proprio. Fortasse legendum: *acceptum aliquid adversi per nimiam fiduciam foret. Adversa* sunt damna in bello accepta: Tacit. Annal. III. 45. *Ipse inter primores equo insigni adire, memorare veteres Gallorum glorias, quaeque Romanis adversa intulissent.* Livius X. 6. *Adversa belli*, et VII. 29. *Adversum proelium.* XXII. 40. *Si quid adversi caderet.*

Compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi. At nondum viderant Romanos firmis ordinibus compositos sequi. Contrarium apparet ex praecipiti fuga Britannorum, ex nimia fiducia et ardore Romanorum, et quod catervae Britannorum *paucioribus* terga praebebant. Cum Romani non sequerentur firmis ordinibus, acceptum fere esset aliquod damnum, ni mox compositis ordinibus fuissent secuti. Legendum puto: *compositos firmis ordinibus sequi videre, rursus in fugam versi* sq. Fere ut Caesar De B. G. II. 24. *Equites nostri, quos primum hostium impetu pulsos dixeram, rursus aliam in partem fugam petebant.*

Rari et vitabundi invicem. Se invicem vitabant, contra ac modo se colligebant. Hoc ideo faciebant, quo tutius effugerent. Nam Romani singulos minus persequebantur, quam congregatos. Et sic fere Dronkius et Kritzius. Wexius veretur ne haec a glossatore addita sint.

Nostrorum trecenti sexaginta cecidere. Nullum in tali formula discrimen est inter *caesa sunt* et *cecidere.* Alterutrum sufficit; atque ita solent scriptores. Exempla apud omnes historicos reperiuntur. Quare legam: *Caesa hostium ad decem millia, nostrorum trecenti sexaginta.* Vel Eutropius, veterum imitator, II. 13. *Viginti millia caesa hostium, et a Romanis tantum quinque millia.*

Et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus. Ambigua verborum positio: nox *fuit gaudio*, et *praeda fuit laeta victoribus;* an, *victoribus nox laeta fuit gaudio et praeda*, propter gaudium et praedam. Modo nox

sequendi nox et satietas fuit. Caesa hostium ad decem millia; nostrorum trecenti sexaginta cecidere, in quîs Aulus Atticus praefectus cohortis, iuvenili ardore et ferocia equi hostibus illatus.

XXXVIII. Et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus. Britanni palantes mixtoque virorum mulierumque ploratu trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere; eligere latebras et statim relinquere, miscere invicem consilia aliqua, deinde separare, aliquando frangi aspectu pignorum suorum, saepius concitari; satisque constabat saevisse quosdam in coniuges ac liberos, tamquam misererentur. Proximus dies faciem victo-

finem fecerat sequendi. Fuitne sequentibus tempus praedandi? Et quae praeda ex pauperibus Caledoniis? Si quid raptu dignum haberent, servare sine ducis consensu non licebat. Ducis erat arbitrium, non militum. Melior omnino sententia prodit: *Et nox quidem laeta victoribus. Britanni palantes* sq. Longe alia nox fuit Britannis. Plus in solo adiectivo *laeta victoribus nox*, si opposita miseriis, quas eadem nox Britannis afferebat, cogitatur, quam adiectis *gaudio praedaque*, quae plane glossam sapiunt.

Vocare integros. Mihi haud ita in promptu est dicere, quid sit vocare *integros*, quae significatio, una ex multiplici, huic loco aptissima. Omnes, quantum novi, tacent. Intelligo, verbis ita transpositis: *Britanni palantes mixtoque virorum mulierumque ploratu trahere vulneratos, vocare integros, miscere invicem consilia aliqua, deinde separare, deserere domos ac per iram ultro incendere, eligere latebras et statim relinquere, aliquando frangi* sq. Vocant *integros*, voce vocant convocant, congregant: quorum aliqua multitudo cum convenisset, consilia miscent.

Miscere invicem consilia aliqua, deinde separare. Sic Mss. Puteolanus ediderat *sperare*, unde Grotius *desperare*. Ego conieceram *spernere*, ut Horat. Epist. I. I. 97. *Quid? mea cum pugnat sententia secum, Quod petiit, spernit, repetit, quod nuper omisit.* Integri illi consilia aliqua, haud profutura, in variis opinionibus miscebant, modo hoc modo illud capiebant: vix ceperant, quum rursus spernebant. *Separare* nunc intelligendum, suum sibi quisque consilium separatim capiebat, sequebatur.

Tamquam misererentur. Non occidebant ex misericordia, tamquam maioribus malis liberaturi, sed ex furore, sanguinem sitiente. Tacit. Annal. VI. 19. *Irritatus suppliciis, cunctos, qui carcere attinebantur, accusati cum Seiano, necari iubet.* ubi recte Gronov. "irritatus sanguine et caede. Significat crudelitatem eius non exsatiatam multitudine punitorum, sed ultro incitatam, ut grassari cuperet in plures." Furor iste explendus est, vel caede innoxiorum, ubi hostes desunt. Tacit. Hist. I. 63. *Raptis repente armis ad caedem innoxiae civitatis; non ob praedam, aut spoliandi cupidine, sed fu-*

riae latius aperuit; vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. Quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia neque usquam conglobari hostes compertum, et exacta iam aestate spargi bellum nequibat, in fines Borestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, praefecto classis circumvehi Britanniam praecipit. Datae ad id vires, et praecesserat terror. Ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit; et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo Britanniae latere lecto omni redierat.

rore et rabie. Britanni, quod saevius, hic vel caede suorum explent rabiem.

Secreti colles. Nil melius vidi, quam *deserti colles*, quod Ernestus emendavit. Non tamen interpreter colles, qui *ante habitati et ab hominibus frequentati*, sed qui *ante a militibus Britannis* occupati erant, ut se ibi defenderent. Tacitus cogitat montem Grampium, et continuos colles, propinquos et remotos. Colles saepe sunt agminum devictorum extremum perfugium. *Deserti*, atque ideo soli, tacentes, altum ubi regnat silentium. Tacit. Hist. III. 85. *In palatium regreditur, vastum desertumque. Terret solitudo et tacentes loci.*

Spargi bellum nequibat. Bellum spargitur, quando per agmina, huc illuc sparsa, geritur, non proelio nec iusta acie pugnatur. Hodie bellum per *guerillas* gestum appellamus, proprium locis montosis, ut in Hispania, unde vox assumpta. Et Agricola, si bellum continuare vellet in Caledonia, montosa, hostibusque nusquam conglobatis, *spargere* debebat, *circumferre*, *et vires dispartiri*, ut Annal. XIII. 37. cf. Annal. III. 21. *Facfarinas, perculsis Numidis, et obsidia aspernantibus, spargit bellum; ubi instaretur, cedens, ac rursum in terga remeans; et, dum ea ratio barbari fuit, irritum fessumque Romanum impune ludificabatur.*

Unde proximo Britanniae latere lecto omni redierat. Pichena *omnis*. Rhen. pro *redierat* legit *exierat*. Utrumque laudat Ernestus et *unde* refert ad *lecto;* unde egressa legerat proximum latus Britanniae. Et sic Wexius, qui opportune quoque monet, interpretes non satis animum advertisse ad plusquamperfectum *redierat*. Hoc enim non significare *rediit in portum*, sed ex Trutulensi portu (sc. egressa) legerat litus proximum, lectoque latere omni redierat. Mihi praeterea deesse videtur aliquid ad sententiam perficiendam, v. c. *unde proximo Britanniae latere lecto omni incolumis redierat.* Quae vox plerumque iter periculosum feliciter peractum ostendit. Caesar etiam *omnis incolumis* coniungit, ut De B. G. IV. 36. *Latere* aliquis mutabat in *litore.* Sed et *latus* et *litus* et alia *leguntur.* Cf. interpretes ad Frontin. Strateg. I. iv. 7, et Ovid. Fast. IV. 289. *Aequoraque Afra legit*, ubi in aliis Mss. erat *litoraque*.

XXXIX. Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum iactantia epistolis Agricolae auctum, ut Domitiano moris erat, fronte laetus, pectore anxius excepit. Inerat con-

Nulla verborum iactantia auctum. Hoc debetur Lipsio, et plerique receperunt. In Mss. Vatic. *actum*, quod nonnulli defendunt, v. c. ex Livio X. 31. *Supersunt etiam nunc Samnitium bella, quae continua per quartum iam volumen annumque sextum et quadragesimum agimus*, i. e. acta describimus. Ergo Tacitus dixisset: hunc rerum cursum Agricola sine ulla verborum iactantia egit in epistola ad Domitianum. Inepte, puto, dixisset, magis etiam, quia de rebus gestis in brevi epistola simpliciter exponebat. Bene Livius *agimus*, i. e. *gerimus; bella aguntur* optimis scriptoribus usitatum: cf. Oudend. ad Caesar. B. G. III. 28. Ita bene *res aguntur*, non *cursus rerum agitur*. Tum melius erat: *Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum iactantia epistolis Agricolae actarum.* Si *auctum* putarem esse verum, tum quoque scribendum mihi videretur *auctarum*. Sed neque *auctum* puto esse Taciti. *Res augentur, in maius augentur*, non *cursus rerum*: tum *nulla verborum iactantia auctum*, fere suspicionem movent, quasi Tacitus cogitasset, non mirandum futurum fuisse, si Agricola, aliorum morem secutus, res a se gestas aliquantum in maius auxisset. Suspicio ista de tali viro, qualem in hoc libello cognovimus, esse non poterat. Atque hoc quoque Dronkium movebat, ut lectionem codicum sequeretur, ederetque *actum*; quamquam nondum, ut ait, satis idoneis exemplis firmatum. Tacitus, credo, nunc significare voluit: Hunc rerum cursum, quamquam sine ulla verborum pompa suaque in bello finiendo opera simpliciter narratum, Domitianus tamen anxius excepit. Hoc Latine est: *quamquam nulla verborum iactantia in epistolis Agricolae nuntiatum.* Nihil in omni epistola erat, quod gloriosum appellari posset; quamquam suae sibi laudis conscius, merito hanc sibi superbiam sumere potuisset, ut v. c. Britanniam iam esse perdomitam scripsisset. Hoc, et plus scribere potuisset, sed et ingenium Agricolae respuebat, et prudentia, ne Domitianum offenderet, suadebat. Idem fecit cap. 18. *Nec prosperitate rerum in vanitatem usus expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse; ne laureatis quidem gesta prosecutus est*, ne in epistolis quidem laureatis exposuit, nuntiavit. Epistolae tales ad Caesares magno saepe verborum ornatu et iactantia componebantur. Erant similes Bulletinis, hac quoque memoria cognitis. Tacitus Annal. XV. 8. reprehendit Paetum: *Longinquis itineribus percursando, quae obtineri nequibant; corrupto qui captus erat commeatu, et instante iam hieme, reduxit exercitum, composuitque ad Caesarem litteras, quasi confecto bello, verbis magnificis, rerum vacuas.* Alia exempla, captatae quoque laudis ab eloquentia, sunt in epistolis Frontonis, et Luciano de conscribenda vera Historia. *Actum* et Rhenano displicebat, coniicienti, *relatum, significatum, lectum.*

Ut Domitiano moris erat, — anxius excepit. Hunc locum respiciebat Ammianus Marcell. XV. p. 48. *Eo more, quo semper oderat fortiter facientes, ut quondam Domitianus, superare tamen quacunque arte contraria cupiebat. Tantumque abfuit laudare industrie gesta, ut etiam quaedam scriberet de*

scientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur; at nunc veram magnamque victoriam, tot millibus hostium caesis, ingenti fama celebrari. Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli; frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet; et cetera utcumque facilius dissimulari, ducis boni imperato-

Gallicanis intercepta thesauris, quos nemo attigerat. Hoc exemplum addi potest iis, quae laudavit Wexius in Prolegom. p. 22, ubi nominavit scriptores, qui Tacitum vel nominant, vel non nominati scripta cogitabant.

Inerat conscientia. Sibi conscius erat. Histor. IV. 41. *Trepidis et verba iurisiurandi per varias artes mutantibus, quis flagitii conscientia inerat.* Silius Ital. VIII. 292. *Inerat metus.* Hic agitur de saevo Domitiani ingenio, quod nulla re vehementius angebatur, quam invidia laudis militaris in Agricola exsplendescentis. Coniiciebam: *urebat conscientia.* Notum est *urere de* acri dolore, ex invidia orto, qualis dolor nunc Domitianum cruciabat, cum praesertim metus simul animum altius penetraret. Horat. Epist. II. I. 13. *Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes Infra se positas.* Liv. XL. 15. *Quin tu, omissa ista nocturna fabula, ad id, quod doles, quod invidia urit.* Florus II. 6. *Urebat nobilem populum ablatum mare, raptae insulae, dare tributa, quae iubere consueverat.* Ammianus Marcell. XX. p. 170. *Properantem Constantium Orienti ferre suppetias urebant Iuliani virtutes, quas per ora gentium diversarum fama celebrior effundebat.*

Frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta. Domitianus secum cogitabat: „Caesar in omnibus rebus maior esse debet, quam quivis privatus. Ne quis supra me excellat in studiis fori et artium civilium, cavi, professoribus quoque eiectis. Sed quid iuvat, si alii in re militari excellant? Atque hoc etiam multo periculosius est. Nam, etsi difficile est simulare, in ceteris istis tamen, quomodocumque, at facilius possum simulare, talia studia a me non curari, quasi aliena a persona principis. Sed in re militari simulare nec possum, nec tutum est. Bella geruntur auspiciis Caesaris. Laus bellica esse debet unius Imperatoris. Quem meis exercitibus praefeci, hunc supra me fama celebrari non ferendum est." Ita, credo, neminem offendet *si alius occuparet*, a Lipsio mutatum in *altius, arctius;* neque offendet *facilius*, ab Ernesto eiectum.

Et cetera utcumque facilius dissimulari. Wexius *et* delevit, quia caussa et ratio additur, non nova res adiicitur. Adiicitur, puto, nova res, quae est in *dissimulando.* Et, si quis in studiis aliisque rebus excellat, simulare poterat, se non curare, dolorem poterat utcumque dissimulare. Kritzius quoque *et* servavit.

Ducis boni imperatoriam virtutem esse. Virtus boni ducis, praestantia atque ex ea parata laus boni ducis, est imperatoria virtus, quae soli Caesari debetur, tamquam imperatori, cuius

riam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque saevae cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in praesentia statuit reponere odium, donec impetus famae et favor exercitus languesceret. Nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat.

auspiciis omnia in bello geruntur, ad quem omnis honos victoriae, a ducibus legatisve reportatae, redit. Hoc discitur ex Tacito Annal. II. 18. *Miles in loco proelii Tiberium Imperatorem salutavit, struxitque aggerem* sq. et 22, Germanicus, laudatis pro concione victoribus, congeriem armorum struxit, superbo cum titulo: *debellatis inter Rhenum Albimque nationibus exercitum Tiberii Caesaris ea monumenta Marti et Jovi et Augusto sacravisse: de se nihil addit, metu invidiae, an ratus, conscientiam facti satis esse.* Libera republica dux gaudio et impetu victoris exercitus Imperator salutabatur. Augustus quibusdam hunc titulum concessit, Tiberius Blaeso postremum. Interpretes vulgo accipiunt, ut et Kritzius, „imperatoriam virtutem, ad Imperatoris dignitatem parandam spectare." et Wexius: „per quam quis escendat ad imperatoris fastigium et splendorem. Nullum esse Imperatori periculum ab iis, qui civilibus artibus excellant, at qui boni ducis gloriam assecutus sit, eum prope accedere ad Imperatoris splendorem et maiestatem, ut timendus sit aemulus." Apparet, credo, ex caede multorum civilibus artibus excellentium, quantopere et priores Caesares et ipse Domitianus eos timerent.

Talibus curis exercitus. Ovid. Metam. XV. 768. *Solane semper ero iustis exercita curis.* Cf. Ruhnken. ad Vell. Paterc. II. 83.

Secreto suo satiatus. Omnes, quos vidi interpretes, satis habent ostendisse scriptores, qui hoc secretum depinxerunt; Tacitus Histor. IV. 86. Sueton. in Domit. 3. Plin. Panegyr. 48. Dio Cass. LXVI. 9. Nemo explicavit, quid *satiatus* significaret. Qui *satiatus* est aliqua re, loco, ille rem, locum fastidit, negligit, relinquit. Ergo apparebat Domitianum *saeva cogitare*, quia reliquerat secretum suum. Sed proprium est ingenio suspicaci, falso et crudeli, ut, invidia et odio ardentes, secreto se abdant, ibique saeva meditentur. Hoc idem fecisse Domitianum ex scriptoribus laudatis efficitur. Tacitus: *Sperni a senioribus iuventutem suam cernens, modica quoque et usurpata antea munia Imperii omittebat: simplicitatis ac modestiae imagine in solitudinem conditus, studiumque literarum et amorem carminum simulans, quo velaret animum, et fratris aemulationi subduceretur, cuius disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.* Suetonius: *Inter initia Principatus quotidie secretum sibi horarum sumere solebat, nec quidquam amplius, quam muscas captare, ac stilo praeacuto configere.* Suetonius opponit *initia* sequentibus temporibus, quando non quotidie, per aliquot horas, sed diu, totos dies in secreto degebat. Dio Cassius: *ἐν τῷ Ἀλβανῷ χωρίῳ τὰ πλεῖστα διάγων — καὶ μοναρχήσας ὁμοίως ἐποίει.* Plinius: *cum velut quodam specu inclusa* (bellua Domitianus) *nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages proferret. Obversabantur foribus horror et minae*

XL. Igitur triumphalia ornamenta et illustris statuae honorem, et quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu iubet, addique insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam

et par metus admissis et exclusis. Non adire quisquam non alloqui audebat, tenebras semper et secretum captantem, nec unquam ex solitudine prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret. Haec igitur erat consuetudo vitae Domitiani: quomodo nunc dici potest *satiatus* esse secreto, secretum reliquisse, in publicum prodiisse? Si statim Agricolam, ex Britannia reversum, occidisset, fecisset, quod Plinius obiicit, eum nunquam prodiisse, nisi ad stragem clarissimorum civium. Sed obstat, quod *optimum rebatur in praesentia odium reponere.* Et quot annos odium reposuit! Agricola Romam rediit a. 85. veneno interceptus est a. 93. Domitianus ne senatui quidem, in quo honores Agricolae decreti, interfuit. Saevae ita cogitationis indicium erat, quod ex secreto non prodiit. Legendum puto: *secreto suo latitans.* Si literae transponuntur, *satiatus* et *latitans* non multum differunt. Sententia sane hinc nascitur intellectu facillima. Adde verba Plinii Panegyr. 49. *Dimovit perfregitque custodias Poena, angustosque per aditus et obstructos, non secus ac per apertas fores et invitantia limina perrupit; longeque tunc illi divinitas sua, longe arcana illa cubilia saevique secessus, in quos timore et superbia et odio hominum agebatur.* Lipsius ibi annotat: „ubi saeva et tristia machinabatur" et h. l. Taciti pro interpretatione utitur. Haec ita scripseram. Nunc video Wexium *satiatus* ita explicare: „*Satiari* apud Latinos non modo est, ad satietatem aliqua re frui, sed etiam, delectari aliqua re, alicui voluptati se dare." Tum, puto, Tacitus scripsisset *secreto suo se satians.* Discrimen apparet ex locis a Wexio appositis. Horat. Carm. I. ii. 37. *Heu nimis longo satiate ludo, Quem iuvat clamor galeaeque leves,* i. e. *qui te satiavisti, desine te satiare.* Seneca de Ira II. 8. *Ferarum iste conventus est, nisi quod illae inter se placidae sunt morsuque similium abstinent, hi mutua laceratione satiantur.* Ubi non recte diceretur *satiatae sunt.* Kritzius indicat vim sententiae esse in *secreto*, non in *satiatus.* „*Secretum* autem est res tacita mente agitata, tacito pectore recondita. Qua quum *satiatus* dicitur Domitianus, hoc significatur, eum tum non palam petisse Agricolam, sed contentum fuisse odium suum atque invidiam virtutum Agricolae intra pectus coërcere." Non puto aliquem hoc ita fuisse expressurum: *sed satiatum fuisse odium atque invidiam intra pectus coercendo. Satiatus* plus est quam *contentus*, est ad satietatem usque contentus. Iam in quibusdam exemplis alterum pro altero bene adhiberi potest, in aliis minus potest, hic, credo, minime.

Odium reponere. Iustin. 5. *Sed Harpagus, ad praesens tempus dissimulato dolore, odium regis in vindictae occasionem distulit.* Iustinus recte addidisset: *ad praesens tempus dissimulato dolore contentus*, non *dissimulato dolore satiatus.*

Addique insuper opinionem. Muretus legebat: *additque.* Alterum magis ex more Domitiani. Qui omnia simulat et dissimulat, iubet potius *addi opinionem*, quam ipse *addit: addi* iubebat ab aliquo in senatu, qui ita

tum morte Atilii Rufi consularis, et maioribus reservatam. Credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse, cum praecepto, ut, si in Britannia foret, traderentur; eumque libertum in ipso freto Oceani obvium Agricolae, ne appellato quidem eo, ad Domitianum remeasse, sive verum istud, sive ex ingenio principis fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac, ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio, noctu in

censeret, decreto, quod disceptabatur, aliquid esse addendum, quo significaretur Syriam Agricolae destinari. Talia facile honori verborum adiiciuntur. Senator v. c. dicere poterat: *praeterea censeo Agricolam meruisse, ut splendidam provinciam nanciscatur.* Notum est illud Catonis: *praeterea censeo Carthaginem esse delendam.* Tacitus Annal. III. 38. *Aqua et igni interdictum reo; appositumque, ut teneretur insula, neque Macedoniae neque Thraciae opportuna.* Wexius: „Senatus decretum iis verbis componendum curavit, ut adspergeretur opinio, destinatam ei esse Syriam." Kritzius: „et ad hoc famam divulgari."

Si in Britannia foret. Tum, credo, statim ex Britannia in Syriam proficisci debuerat, nec Romam venisset. Domitianus timebat eius non modo introitum, sed etiam, idque multo magis, praesentiam continuam. In Syria autem Agricolam citius ac facilius e medio tollere poterat. Ita Romae, postquam Germanici valetudo percrebuerat, erumpebant questus: *ideo nimirum in extremas terras relegatum: ideo Pisoni permissam provinciam.* cf. Annal. II. 82.

Sive ex ingenio principis fictum ac compositum est. Magis puto ex more Taciti *fictum ac compositum.*

Vitato amicorum officio. Agricola *vitabat* officium, ut Tiberius apud Sueton. 12. *Rhodi non privatum modo sed etiam obnoxium et trepidum egit; mediterraneis agris abditus vitansque praeternavigantium officia, quibus frequentabatur assidue.* Quod vitamus, hoc vicinum adest. Ergo amici Agricolae iam convenerant, eique obviam ibant. Sed occursum vitabat, diverso itinere in urbem ingressus et ad palatium properans. Ita tamen celebritas et frequentia amicorum officium et studium non tantum non latuissent, sed per modestiam ipsam vitantis facta fuissent illustriora, cum praesertim Domitianus iusserat eum noctu ingredi. Faces quoque, quia haec noctu fiebant, officium fecissent conspectius. Tacitus, credo, scripsisset: *vetito amicorum officio.* Domitianus eum iusserat urbem noctu ingredi: ipse vetuerat officium amicorum, ne per eos tamen introitus esset notabilis. Domitianus, qui odium in praesens reposuerat, studebatque non inimicus Agricolae videri, tale officium vetare non poterat. Quod eum noctu ingredi iusserat, hoc aliis caussis tribui poterat, v. c. negotiis, quibus per totum diem vacandum fuisset; nec salutationes nocturnae nec introitus erant insoliti. Augustus, narrante Suetonio 53, *non temere urbe oppidove ullo egressus, aut quoquam egressus*

urbem, noctu in palatium, ita ut praeceptum erat, venit, exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servientium immistus est. Ceterum, ut militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut

est, nisi vespere aut noctu: ne quem officii caussa inquietaret.

Turbae servientium immistus est. Si Tacitus ita scripsit, nimium permisit irae. Turba *servientium* accedit ad opprobrium et convicium, cui praeterea nunc non erat locus, quia in ista turba sine dubio fuerint, qui magis necessitate et honesta cautione venerant, quam studio servili. Tacitus ipse prudentiam et obsequium in Agricola laudat. *Turba* autem de libertis et intimis amicorum, aulicis adeo, minus diceretur. Ea non erat tanta. Exspectassem hic potius *turbae salutantium immistus est.* Ut Annal. IV. 41. *Adempta salutantium turba.* XI. 22. *In coetu salutantium.* IV. 74. *Seiano satis constabat auctam arrogantiam, foedum illud in propatulo servitium spectanti.* Quod ibi bene *servitium* appellatur, hic minus bene in salutantibus Domitianum vocaretur. In Plinio ferrem *servientium* turbam. Tacitus, si non scripserit *salutantium*, postea, credo, scripsisset. Sed hic liber de Agricola primus est fructus restitutae libertatis. Tacitus nondum is est, qui esse coepit in Germania, deinde fuit in Historiis et Annalibus. In Agricola cernitur hic illic aliquid tumoris et affectatae elegantiae, ut Plinius solet, in Germania minus, in ceteris scriptis, fere est ut dicam, nihil. Miror interdum Tacitum et Plinium fuisse amicos. Ille quidem, ut debebat, mite et amabile pectus Plinii dilexit, scribendi genus probare, ne quid gravius dicam, minime potuit.

Tranquillitatem atque otium penitus auxit. Proprie *rem augemus*, quae iam adest. Si nondum adest, per prolepsin quandam adesse cogitatur, atque ita *augetur.* Explicandum hoc verbum est variis modis, prout sententia loci postulat. Agricola tranquillitatem atque otium auxit, eo usque, ut penitus tranquillus atque otiosus viveret; otium *penitus auxit*, secutus est *altissimum.* Ideo auctor de B. Hispan. I. 1. scribere potuit: *maiores copiae augebantur.* Hoc Davisius primum mutare volebat in *cogebantur*, deinde simili exemplo ex Canone Theodosii confirmat: *tractatum est ut plures Episcopi, crescente numero fidelium, augerentur.* Tacitus Agric. cap. 14. *Fama aucti officii.* Annal. II. 6. *Simul aptae* (naves) *ferendis equis aut commeatui, velis habiles, citae remis, augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem.* Ubi frustra Muretus coniicit *agebantur*, neque recte Ernestus interpretatur, „cum accederet etiam militum alacritas, augebatur species ac terror classis." Nihil aliud est, quam, alacritate militum magno numero construebantur. Ita Graeci αὐξάνειν. Iacobsius in delectu Epigr. Graec. I. 96. Νύμφαι—εὔυδρον τόδε δῶμα γέροντες Αὔξετε. Πάν, γλαφυρόν. Βάκχε, πολυστάφυλον. annotavit: „αὔξετε pro τίθετε, facite, ut apud Tacitum, *otium auxit*, pro *otium*, ut ita dicam, *otiatus est.* In nonnullis vocibus statuenda prolepsis quaedam. Ita in Epigrammate p. 102. κώμους τελειοτέρους ἐξύψωσεν, fecit perfectiores et in altum quasi provexit." Wexius de coniectura sua

altero amicorum comitatus, adeo uti plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso aspectoque Agricola, quaererent famam, pauci interpretarentur.

edidit *tranquillitatem atque otium penitus hausit*, idque dictum volebat, ut apud Livium: *avide meram libertatem haurire.* Praeterea iudicat, aliud esse *virtutem, vires, saevitiam augere*, quod in nostra potestate situm est, illud non est. Diffiteri nolim, quod in Mss. legitur, locutionem esse insolitam, eoque magis miram, cum Tacitus scribere potuisset: *Ceterum militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperavit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus.* Haec sunt Latina, et perspicua, pertinentque ad *otiosos*, urbanos, non militares, cives adeo, togatos: *tranquillitas et otium* Agricolae pertinent ad Domitianum. Qui tranquillitatem et otium sequitur, nihil omnino rei publicae attingit, aut curat, neque factis neque verbis. Quod in coniectura Wexii minus mihi placet, hoc est: in *nomen temperavit aliis virtutibus* cernitur metaphora sumpta a poculo, quod vino et aqua miscetur; adde *penitus hausit otium*, metaphora continuatur, sed non recte continuatur. Poscitur, credo, oppositum poculum poculo temperato, i. e. nomen temperavit, otium merum penitus hausit. Nunc esset: nomen temperavit, otium penitus ebibit. Ne dicam *otium penitus haurire* insolentius dictum videri quam *penitus augere*, cum praeterea adiunctam habeat *tranquillitatem*, quae sane potest *augeri*, ut *augentur* virtus, vires et saevitia.

Viso adspectoque Agricola, quaererent famam, pauci interpretarentur. Illud *quaererent famam* mihi semper visum est intellectu difficile. *Quaerimus* aliquid in homine, re, loco, quod in istis ita inesse solet, ut sine eo cogitari non possint, neque eadem, sed alia videantur. Nomen autem Agricolae magna fama per totam urbem erat celebratissimum. Quomodo igitur *quaerebant*, quod non desiderabatur? Fortasse legendum: *adeo, uti plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso adspectoque, Agricolam quaererent, famam pauci interpretarentur.* Qui magnos viros aestimare solebant per ambitionem, ex splendido cultu, superbo et arroganti sermone, illustri comitatu, viso adspectoque hoc viro, audientes quis esset, credere aut intelligere vix poterant esse Agricolam illum, cuius nomen tantopere per totam urbem celebraretur. Sed qui noverant, probe intelligebant famam et caussam famae. Significatio *quaerendi* his exemplis illustratur: Cicero Verr. III. 18. *Campus Leontinus sic erat deformis atque horridus, ut uberrima Siciliae parte Siciliam quaereres.* Tibull. II. III. 25. *Quisquis inornatumque caput crinesque solutos Adspiceret, Phoebi quaereret ille comam.* Florus I. 16. *Ita ruinas ipsas urbium diruit, ut hodie Samnium in ipsa Samnio requiratur.* Nepos de Agesilao 8. *Cuius faciem quum ignoti intuerentur, contemnebant; qui autem virtutes noverant, non poterant admirari satis.* Hic aliquando in Aegypto in acta cum comitibus accumbebat: *vestitu humili atque obsoleto, ut eorum ornatus non modo in his regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi speciem praeberet. Huius de adventu fama quum ad regios esset perlata, celeriter munera cuiusque generis sunt allata. His quaerentibus Agesilaum vix fides facta est, unum*

XLI. Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est. Caussa periculi non crimen ullum aut querela laesi cuiusquam, sed infensus virtutibus

esse ex his, qui accubabant. Diodorus Siculus in Fragmentis libri XXXI. p. 145. Antiochus *παρέτρεχε παρὰ τὴν πομπὴν, ἱππάριον ἔχων εὐτελὲς, καὶ τοὺς μὲν προάγειν κελεύων, τοὺς δὲ ἐπέχειν, ἄλλους δὲ ὡς ἔτυχε διατάττων· ὥστε, εἴ τις ἀφεῖλεν αὐτοῦ τὸ διάδημα, μηδένα πιστεῦσαι τῶν ἀγνοούντων τοῦτον εἶναι τὸν τῶν ὅλων κύριον, δρῶντα μηδ' ὑπηρέτου μετρίου φαντασίαν ἔχοντα.* Qui Agricolam ignorabant, eo magis mirari debebant, hunc esse tantum virum, quantus fama celebraretur, quia, praeter memoratam simplicitatem, habitu non erat sublimis, nihil metus in vultu, sed gratia oris conspiciebatur, *adeo ut bonum virum facile crederes, magnum libenter,* quod Tacitus narrat cap. 44. Wexius h. l. exponit ex formula *quaerere aliquid* pro quaerere *de aliqua re.* Illi inter se disputabant et quaerebant, quae tandem illa esset fama, unde collecta, qua re niteretur. Lipsius ad Taciti Hist. II. 39 sic fere exponit *interpretarentur:* „Significat multos ex specie tantum externa iudicasse, paucos inquisivisse aut explorasse."

Per eos dies. Quod alii *illis diebus*, ut Virgil. Aen. II. 340. *Illis qui ad Troiam forte diebus Venerat;* qualia interpretes contulerunt ad Matth. III. 1. *ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις*, i. e. *eo tempore*, ut Nepos in Phocione 3.

Absens accusatus, absens absolutus est. Non recte vir doctus volebat *praesens absolutus est.* Repetitum *absens* habet indignationem. Talia erant iudicia, ut accusatus ne audiretur quidem. Eandem iniustitiam in Atheniensibus notavit Nepos Themist. 8. Lacedaemonii legatos Athenas miserunt, *qui eum absentem accusarent — absens proditionis est damnatus.* Atque haec contra Agricolam agebantur, puto, haud insciente Domitiano. Terrorem Agricolae iniicere volebat. Accusabant certe periti cogitationum principis. Wexius: „repetita vox *absens* indicat talia fuisse illa crimina, et tam inania visa esse ipsi Domitiano, ut nulla quaestione habita opprimerentur."

Tot militares viri cum tot cohortibus expugnati. Lipsius, *militares numeri.* Gronovius, *vici.* Ernestus interpretatur *duces.* Beckerus, *legatos legionum*, tribunos militum, vel centuriones primi pili. *Militares viri* sunt *usu periti militiae*, tam duces, legati, tribuni, centuriones, quam gregarii milites. In eo simul tacita notio *fortitudinis* ita intelligitur, ut vix segregari possit. Sed hic *militares viri cum cohortibus;* ergo alii sunt quam *cohortes*, non in cohortibus censentur, a cohortibus separatim nominantur. Intelliguntur, credo, *praefecti et centuriones cohortium*, in *cohortibus* tantum intelliguntur *milites.* Damnum vulgo in illis amissis maius existimatur, quam in militibus, cum praesertim sint auxilia, ut cohortes. Sic Agric. 37. *Nostrorum trecenti sexaginta cecidere, in quis Aulus Atticus, praefectus cohortis.* Legendum puto: *tot illustres viri cum tot cohortibus expugnati.* Coniectura commendatur et similitudine literarum, et exemplo Liv. XXXIII. 36. *Corolamus, regulus Boiorum, cum magna manu adortus, ad tria millia hominum occidit, et illustres viri aliquot in illo tumultuario proelio ceciderunt: inter quos praefecti socium Tib. Sempronius Gracchus, M. Iunius Silanus,*

princeps et gloria viri ac pessimum inimicorum genus, laudantes. Et ea insecuta sunt rei publicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent; tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania et Pannonia temeritate aut per ignaviam ducum amissi, tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti; nec iam de limite imperii et ripa, sed de hi-

et tribuni militum de legione secunda A. Ogulnius et P. Claudius. Wexius edidit ex coniectura Gronovii *tot militares vici*, interpretans *sitos ad militarem viam. Militaris homo*, disputat, et *militaris vir*, et *militaris* nil est, nisi qui militat, sive miles est, non togatus. Nostro igitur loco, si vera esset scriptura, et, quod volunt interpretes, viri magno militiae usu excellentes significarentur, Tacitus certe *tot viri militares* scripsisset. Nunc nihil aliud his verbis indicaretur, nisi eos esse e militari genere. Haec Wexius. Ego quod supra scripsi, intelligendos tum *milites* usu peritos militiae, veteres adeo militiae, confirmaveram iisdem fere exemplis, quibus Wexium confirmasse video, *militares viros* nihil esse nisi *milites.* Tacit. Hist. III. 73. *Irrumpunt Vitelliani, et cuncta sanguine, ferro flammaque miscere. Pauci militarium virorum, inter quos maxime insignes, Cornelius Martialis, Aemilius Pacensis, Casperius Niger, Didius Scaeva, pugnam ausi, obtruncantur.* Livius XLII. 32, 33. *Licinius veteres quoque scribebat milites centurionesque.* — Ea res disceptabatur in concione populi. Pro centurionibus M. Popillius, qui biennio ante consul fuerat, ita verba fecit: *Militares homines, et stipendia iusta, et corpora et aetate et assiduis laboribus confecta habere: nihil recusare tamen, quominus operam reipublicae dent, id tantum deprecari, ne inferiores in ordines, quam quos, quum militassent, habuissent, attribuerentur.* In his, puto, exemplis *militares viri, militares homines*, aliquanto plus significant, quam qui sunt ex militari genere. Tirones quoque sunt *ex militari genere.* Non tamen appellantur *militares iuvenes*, quantum scio. Kritzius: „intelliguntur viri fortes, strenui, rei militaris periti a ducibus, quorum temeritate aut ignavia exercitus amissi erant, deserti ac proiecti, ut castella, quibus praeerant, tueri non valerent."

De limite imperii et ripa. Danubius et Rhenus erant valida imperii Romani munimenta. In Moesia Daciaque, praeter Danubium, irruptiones hostium vallo arcebantur. Tacitus *et vallum et Danubium* uno nomine *limitis* comprehendisse videtur, et *ripa* uti fere instar proprii nominis pro *Rheno.* Iam de isto limite et ripa saepe certabatur. In eo nil miri aut novi erat. Sed res iam eo venerat, ut *de limite imperii et ripa et hibernis legionum et possessione dubitaretur*, i. e. *de possessione imperii*, totius imperii Romani, non modo in Moesia Daciaque et Germania, sed etiam in aliis provinciis, in ipsa quoque Italia. Significatio *imperii* sic positi non alium sensum admittit; sed talis sensus nec convenit, et agitur tantum de Moesia, Dacia et Germania. Tolle *imperii*, et omnia sunt intellectu facillima: *tot exercitus in Moesia Daciaque et Pannonia, et Germania temeritate aut per ignaviam ducum amissi, tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et*

bernis legionum et possessione dubitatum. Ita cum damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem et constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine eorum. Quibus sermoni-

capti; nec iam de limite et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum, i. e. de possessione totarum regionum, provinciarum, quas Danubius in Moesia Daciaque et Pannonia et Rhenus in Germania praeterfluunt. Transposui simul *Pannoniam* ad vicinas Moesiam et Daciam. *Ripa* est Germaniae. Rhenus autem praecipue vocabatur *ripa*. Tacit. German. 17. *Proximi ripae.* Hoc non recordabantur viri docti ad Eumenii Panegyr. Constantii 13. *Tu enim, Imperator aeterne, repente Rheno institisti, omnemque illum limitem non equestribus neque pedestribus copiis, sed praesentiae tuae terrore tutatus es. Quantoslibet valebat exercitus Maximianus in ripa.* Quod hostes videbant Maximianum in ripa Rheni, illo limite imperii Romani, hoc erat instar totorum exercituum. Acidalius pro *in ripa* volebat *Imper.* i. e. *Imperator.* Arntzenius putabat *in ripa* oppositum *classibus in mari.*

Atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur. Dubito, an sic *omnis annus* usitetur pro *omnes anni*, sequentes anni, singuli, quotannis. *Omnes anni*, nota locutio. Virgil. Aen. I. 70. *Omnes ut tecum meritis pro talibus annos Exigat.* Lucan. VII. 421. *Omne tibi bellum gentes dedit omnibus annis Emathiae funesta dies.* Claudian. de B. Getico 540. *Ipsi, quos omnibus annis Vastabam, servire dati.* In simili sententia Livius *quotannis* XXVI. 26. *Otium, ut solet, excitavit plebis rumores: belli diuturnitute et vastatos agros circa urbem, qua infesto agmine isset Hannibal, et exhaustam delectibus Italiam, prope quotannis exercitus caesos querebantur*, ut praeclare emendavit Gronovius corruptum *pro re quod annis. Omnis annus* funeribus insignitur, est, puto, totus ille annus, de quo loquimur. Quod si ita est, legendum erat: *omnes anni insignirentur.* Unum contra exemplum docebit, me frustra dubitasse.

Cum inertia et formidine eorum. Sic legitur in Mss. Vatic. In margine unius, *inerciae et formidini.* Nimirum alii glossatores suppleverunt *cum formidine et inertia eorum*, alii *formidini et inertiae.* Insuper aliud glossam prodit. Tacitus supra culpavit *temeritatem et ignaviam ducum*, nunc laudat virtutes contrarias Agricolae, *vigorem et constantiam* opponens *ignaviae*, et *expertum bellis animum* — *temeritati.* Quid opus erat denuo culpare ducum *inertiam et formidinem? Comparantibus cunctis vigorem, constantiam et expertum bellis animum*, omnino sufficiunt, et recte absolvunt sententiam: in hoc verbo saepe omittitur illud quocum *aliquid comparatur.* Hoc ex sententia loci efficitur. Hic esset: comparantibus *cum temeritate illa et ignavia ducum.* Tacit. Annal. III. 5. *Fuere, qui publici funeris pompam requirerent, compararentque, quae in Drusum, patrem Germanici, honora et magnifica Augustus fecisset.* Annal. I. 2. *Sed quoniam arrogantiam saevitiamque eius* (nempe Augustus Tiberii) *inspexerit, comparatione deterrima sibi*

bus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem exstimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur.

XLII. Aderat iam annus, quo proconsulatum Asiae et Africae sortiretur, et occiso Civica nuper nec Agricolae consilium deerat, nec Domitiano exemplum. Accessere quidam cogitationum principis periti, qui iturusne esset in provinciam ultro Agricolam interrogarent. Ac primo occultius quie-

gloriam quaesivisse: eorum autem tam humile et supervacaneum est, ut pauci interpretes tolerandum censuerint. Grotius, legebat *ceterorum*. Ernestus *caesorum*, Bipont. *aliorum* aut *illorum*, alii membrum sententiae excidisse suspicantur, quod inchoabatur a *quibus*. Wexius *eorum* delet.

In ipsam gloriam praeceps agebatur. In ipsam, ad ipsam gloriam, quam tantopere evitare studebat, praecipitabatur, tamquam exitium. Sic apud Liv. VIII. 7. de Manlio, Torquati filio: *Movit ferocem animum iuvenis, seu ira, seu detrectandi certaminis pudor seu inexsuperabilis vis fati. Oblitus itaque imperii patrii, consulumque edicti, praeceps ad id certamen agitur; quo vinceret an vinceretur, haud multum interesset.* Sallust. Catil. 31. *Quoniam quidem circumventus ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina exstinguam,* i. e. praeceps agor in incendium, illud exstinguam ruina. Simile quid inest formulae Graecae, quam explicavit Berglerus ad Alciphron. Epist. I. p. 57. *τῶν εἰς Πειραιᾶ φθαρέντων*, qui malo suo in Piraeum venerant, eo venerant ut perderentur.

Nec Agricolae consilium deerat, nec Domitiano exemplum. Miror hoc dici de facinore, quod Domitianus ipse perpetravit. Recte diceretur *Domitiano non defuisse exemplum*, si Civica occisus esset a Vespasiano vel Tito. Tum se defendere poterat exemplo quod antecesserat; quod alii iam fecissent, cur ipse non faceret? Legendum puto: *nec Agricolae consilium deerat nec exemplum.* Agricola, peritus temporum et vir magnae prudentiae, qui praeterea nuper e Britannia redux animum Domitiani satis perspexerat ex brevi osculo et nullo sermone, iam secum constituerat neutram provinciam accipere. Ut ita faceret, suadebat quoque triste Civicae exemplum. Kritzius: „*non dubii erant*, Agricola, *quin abnueret*, ne idem pateretur, quod Civica, Domitianus, *quin idem faceret*, ut in Civica, si Agricola acciperet." Tum, puto, legendum erat: *nec Agricolae exemplum, nec Domitiano consilium deerat.* Quod non peius esset, quam si *Domitiano* eiiceretur: ea voce servata, Tacitus scripsisset: *et occiso Civica nuper a Domitiano, Agricolae deerat nec consilium nec exemplum.*

Accessere quidam. i. e. accessere, tamquam magnum momentum. Addidere magnum momentum consilio Agricolae, ut proconsulatum, seu Asiam seu Africam sortiretur, recusaret.

Postremo non iam obscuri. In Mss. *non tam*, quod nonnulli revocarunt.

tem et otium laudare, mox operam suam in approbanda excusatione offerre; postremo non iam obscuri suadentes simul terrentesque pertraxere ad Domitianum. Qui paratus simulatione, in arrogantiam compositus, et audiit preces excusantis, et quum annuisset, agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii invidia. Salarium tamen proconsulari solitum offerri, et quibusdam a se ipso concessum, Agricolae non

Rhenanus ediderat *iam*, vera emendatione. *Non tam*, esset, minus obscuri quam antea. Supererat igitur aliquid obscuri. Superesse non poterat, ubi *suaderent*, *terrerent*, *pertraherent*. Ceterum post *non iam* sequitur vulgo *sed*, et magis respicitur tempus, nec fere plus significat quam *non amplius*. Liv. II. 23. *Non iam foro se tumultus continet, sed passim totam urbem pervadit.* Tacit. Annal. XI. 28. *Non iam secretis colloquiis, sed apertis fremere.* Agric. cap. 44. *Non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu.* Significatio aliquantum differt in *iam non:* tum adiectivum vel substantivum magis respicitur, quae fiunt quasi una vox. Ovid. Art. Amat. II. 93. *At pater infelix, iam non pater, Icare, clamat, Icare, clamat, ubi es? quove sub axe volas?* Ibi alia Mss. *non iam*, *nec iam.* Burm. recte praetulit *iam non:* cur, non explicavit. Discrimen sentitur, si ponas: *non amplius pater*, et *iam non pater*, pater, iam non pater, iam orbus, qui, filio iam amisso, non pater erat, quem *patrem* appellare non debueram. Metam. VIII. 221. de eodem Daedalo: *At pater infelix, nec iam pater*, i. e. et iam non pater, alioquin *nec* ita erat resolvendum: *et non iam pater.* II. 649. *Tu quoque, care puer, non iam mortalis, et aevis Omnibus ut maneas, nascendi lege creatus.* leg. *iam non mortalis*, cuius interpretatio est, quod in aliis Mss. invenitur, *nunc immortalis.* Quintil. Instit. Orat. V. proöem. 13. *Ut me in supremis consolatus est! quam etiam deficiens, iamque non noster ipsum illum alienatae mentis errorem circa solas literas habuit!* Et omisso *iam*, Ovid. Metam. I. 621. si *Vacca negaretur, poterat non vacca videri.* Io poterat videri *non vacca.* Virg. Georg. IV. 498. *Invalidasque tibi tendens, heu! non tua, palmas.* Et sic in Graecis *ἡ οὐ διάλυσις τῶν γεφυρῶν, τὰ μὴ καλὰ, δῶρα οὐ δῶρα, ἄδωρα, ἡ σοφία οὐ σοφία, ἄσοφος, sapientia insipiens*, ut fortasse dixisset Horatius, si lex metri non obstitisset. Si locum Taciti ad istam rationem exigo, eum potius scripturum fuisse arbitror *iam non obscuri:* primo agebant occultius, mox minus, postremo iam non obscuri, iam aperte verbis, manifesto factis ostendebant, quid vellent.

Nec erubuit beneficii invidia. Ernestus: „i. e. invidiosis sermonibus, quos tale beneficium concitaturum esset. Nam *invidia* dicitur et de re invidiosa. Nisi Tacitus scripsit *iniuria*, ut *ὀξύμωρον* esset." Domitianus, credo, si quis in eo pudor, statim erubescere debebat tali beneficio, non erubescere poterat odio, inde postea nascituro. Wexius: „dum beneficium se simulat praestare, nil nisi invidiam et odium suum satiat." Recte sane, quod ad sensum, qui postulatur; dubito autem an iste sensus ex verbis effici possit. Coniece-

dedit, sive offensus non petitum, sive ex conscientia, ne, quod vetuerat, videretur emisse. Proprium humani ingenii est odisse, quem laeseris; Domitiani vero natura, praeceps in iram, et quo obscurior eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur, quia non contumacia neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam

ram: *beneficio et invidia.* Suspicor tamen *beneficii invidia* esse glossam. Tacito digna sunt: *et audiit preces excusantis, et quum annuisset, agi sibi gratias passus est, nec erubuit.* In solo hoc verbo *erubuit*, ita in fine posito, longe maior vis apparet, quam in omnibus additamentis. Quicunque haec alta voce recitet, illum persentiscere oportet, quid sit *audiit preces, annuit, gratias sibi agi passus est — nec erubuit.*

Proprium humani ingenii est odisse quem laeseris. Odisse saepe significat non amare, neque semper illud, quod nostra lingua cogitamus, quum dicimus *odi eum.* Martial. Epigr. I. 33. *Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare. Hoc tantum possum dicere: non amo te.* Catull. Epigr. 83. *Odi et amo: quare id faciam fortasse requiris. Nescio, sed fieri sentio, et excrucior.* Fere ut *μισεῖν* in libris sacris. Matth. VI. 24. *οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει,* cf. interpretes ad Lucae XIV. 26. Tale *odium* ostenditur eo, quod laesos aversamur, quasi irati simus, et iustas irae causas habeamus. Seneca de Ira III. 29. *Quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas irae. Retinemus enim illam et augemus, quasi argumentum iuste irascentis graviter irasci.* Sed melior pars hominum iram non gerit perpetuam, sentit serius ocyus se male egisse, et cum laeso in gratiam redit. Quia *odit* aperte, vel propterea esse *revocabilem* apparet. Domitianus vero, quamquam natura praeceps in iram, iram dissimulabat, odium reponebat: ita odisse, vulgo non proprium est ingenii humani, sed Domitiani, et paucorum ei similium. Hi vehementer oderunt odio aeterno.

Prudentiaque Agricolae leniebatur. Nepos in Dione 6. *Hanc ille* (*invidiam* i. e. odium) *non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere studuit.*

Quibus moris est illicita mirari. Nonnulli tantum mirantur et magnos esse viros iudicant, qui sub malis principibus faciunt, quod non licitum erat nisi in libera republica. Hi sciant, et exemplo Agricolae discant, magnos quoque viros esse, qui licet gloriosa morte non inclaruerint, obsequio et modestia, cum vigore et industria iunctis, non minore laude digni sunt. Fuerunt fortasse, qui Agricolam propter obsequium et modestiam auctumque otium et tranquillitatem reprehenderent. In *illicitis* multa intelliguntur, quae princeps non patitur, ut v. c. et illud Annal. VI. 8. *Abditos principis sensus, et si quid occultius parat, exquirere, illicitum, anceps. Mirari illicita,* ut Livius XXVI. 22. *Eludant nunc antiqua mirantes.*

Obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint. Tacitus idem expressit aliis verbis Annal. IV. 20. *Hunc ego Lepidum, temporibus illis,*

sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum ambitiosa morte inclaruerunt.

gravem et sapientem virum fuisse comperio. Nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat, cum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit. Unde dubitare cogor, fato et forte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos: an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter, ambitione ac periculis vacuum. Agricola, si non laude militari inclaruisset, fuissetque, ut Lepidus, senator, fuisset, quod Lepidus erat, exemplo, ut in negotio haud multum dissimili, Sidonius Apollin. III. 12. *Aliis periculoso, liber sub dominantibus tyrannis.* Minus industriae ac vigoris ostendisse videtur Crispus, aequalis Domitiano, laudatus tantum propter summam prudentiam. Iuvenal. Satir. IV. 80 sq. *Venit et Crispi iucunda senectus, Cuius erant mores qualis facundia, mite Ingenium. Maria ac terras populosque regenti Quis comes utilior, si clade et peste sub illa, Saevitiam damnare et honestum afferre liceret Consilium? Sed quid violentius aure tyranni? Cum quo de pluviis, aut aestibus, aut nimboso Vere locuturi fatum pendebat amici. Ille igitur nunquam direxit brachia contra Torrentem, nec civis erat, qui libera posset Verba animi proferre, et vitam inpendere vero. Sic multas hiemes atque octogesima vidit Solstitia: his armis illa quoque tutus in aula.* Ceterum vellem Tacitus uno alterove exemplo ostendisset, in quibus rebus industria ac vigor Agricolae spectata fuissent. Rei publicae quidem nullam partem capessivit. Verosimile igitur est literis operam navasse, et privatam amicis praestitisse.

Obsequiumque ac modestiam — eo laudis excedere. Locus difficilis, variis modis explicatus vel tentatus. Tentavi *obsequioque ac modestia — eo laudis escendere.* Magni viri, obsequio ac modestia, si industria ac vigor adsint, ad illud laudis fastigium escendunt.

Inclaruerunt. Conieci *non pervenerunt: in* et *non* saepe in Mss. confunduntur, *pervenerunt* scribitur *p'venerunt* Liv. VII. 30. *Usque ad nos contemptus Samnitium pervenit, supra non escendit.* Ita legam: *Sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequioque ac modestia, si industria ac vigor adsint, eo laudis escendere, quo plerique per abrupta, ambitiosa morte sed in nullum reipublicae usum, non pervenerunt.* Magni viri, qualis Agricola, possunt vivere sub malis principibus, et propter honestum obsequium ac modestiam maiore laude apud posteros celebrantur, quam qui ambitiosam sed inutilem sibi mortem provocarunt, cum praesertim per contumaciam suam et inanem iactationem libertatis iram principis magis irritent. Modesti exspectant meliora tempora, non exasperant tyrannum, leniunt potius; horum vita patriae prodest, cum mors v. c. Thraseae et Paeti nocet. Praeclare Cicero de Offic. I. 17. *Omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus.* Sane! ait Wyttenbachius in Protreptico 18 Sept. 1810,

XLIII. Finis vitae eius nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. Vulgus quoque et hic aliud agens populus et ventitavere ad domum et per fora et circulos locuti sunt, nec quisquam, audita morte Agricolae, aut laetatus est, aut statim oblitus. Et augebat mise-

Leidae scholis instaurandis dicto, quum Napoleo I Hollandiam imperio suo adiecerat: „Sane! si ei sit profuturus, dulce et decorum est pro patria mori. Si morte nihil profuturus sit, dulce et decorum est pro patria vivere." Muretus Operum T. I. p. 356, in Oratione, qua Annales a se explicandos auguratus est, sententiam Taciti imitando expressit: „Prodest tamen scire, quomodo etiam sub illis (malis imperatoribus) viri boni ac prudentes vixerint; quomodo neque, intempestiva libertate utentes, vitam suam sine ulla publica utilitate in periculum obiecerint, neque tamen, foeda ac probrosa laudantes, placere sibi ullam turpitudinem ostenderint."

In nullum rei publicae usum ambitiosa morte inclaruerunt. Mss. Vatic. *in ullum rei post usum.* Puteol. *in nullum rei post usum:* in M. *in nullum re p. usum.* Ursini Cod. *in nullum reipublicae usum*, quod Muretus quoque coniecerat, et plerique sequuntur. Fortasse verba per negligentiam librariorum sunt traiecta, ac legendum: *ambitiosa morte, sed nulli in posterum usui.* Pari modo inutilem mortem Paeti reprehendit Annal. XIV. 12. *Paetus exiit senatu, ac sibi caussam periculi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit.*

Vulgus quoque et hic aliud agens populus. Hic populus, multum diversus a vetere populo, libera republica: non sine contemptu. Horat. Epist. II. I. 18. *Sed tuus hic populus, sapiens et iustus in uno*, in ceteris rebus insipiens et iniustus. Cicero in Verr. II. 3. *Ad illam veterem disciplinam, non ad hanc quae nunc increbuit.* Liv. XXV. 40. *Inde primum initium mirandi Graecarum artium opera, licentiaeque huic sacra profanaque omnia spoliandi factum est.* Cf. Gronovius. *Aliud agens*, quam agere debebat, nil fere curans nisi panem et circenses. Tacit. Hist. I. 82. *Sed vulgus, et magnitudine nimia communium curarum expers populus.* II. 90. *Vulgus tamen, vacuum curis et sine falsi verique discrimine solutas adulationes edoctum, clamore et vocibus adstrepebat.* Populus interdum intentus erat, ut nunc, et Annal. III. 11. *Haud alias intentior populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit.*

Aut statim oblitus. Et augebat miserationem. In Mss. *oblitus est.* Laetatus *est* — oblitus *est* non erat ferendum. Posterius *est* iam deleverat Acidalius; Wexius illud mutavit in *et*, ut iam Froelichius apud Halmium.

Veneno interceptum. Intercipitur aliquis, de media via captus, neque ad locum destinatum perveniens, fraude et de improviso oppressus. Ruhnken. ad Sueton. Caesar. 20. Hinc *veneno interceptus* pulchrius quam *interemptus*, quocum saepe confunditur. Oudend. ad Appul. Metam. X. p. 638.

Nobis nihil comperti affirmare ausim. Acidalius *comperti, quod affirmare ausim.* Iam olim putaveram, Tacitum voluisse, quod Cicero dicit in Epist. ad Famil. V. 5. *Ex multis audivi. Nam comperisse me, non audeo dicere.*

rationem constans rumor veneno interceptum. Nobis nihil comperti, affirmare ausim. Ceterum per omnem valetudnem eius, crebrius quam ex more principatus, per nuntios visentis, et libertorum primi et medicorum intimi venere, sive cura illud sive inquisitio erat. Supremo quidem die

Fortasse est una omnium acerbissima affirmatio, Agricolam veneno interceptum videri. Omnia, ait, cum cognatis et amicis inquisivi. Sed Domitianus scelus tam caute perpetravit, ut certo quodam indicio deprehendi non potuerit. Tacitus de veneno minime dubitabat. Simplicior esset affirmatio: *nobis nihil comperti, affirmare haud ausim.* Sed in hac constructione me semper offendit *comperti.* Tacitus amat genitivos post *nihil.* Multa talium genitivorum exempla collegerunt Gronov. ad Liv. XXXII. 37. Heins. ad Ovid. Heroid. VII. 104. Cort. ad Lucan. II. 657. Terminatio *um* et *i* plerumque in Mss. permutantur, nec mirum, cum scriberetur *u*, quod parum differt ab *i*. Propterea minus hic curanda arbitror Mss., quam quid melius Latino sermoni convenire videatur. Cogitemus v. c. utrum in noto illo Lucani versu de Caesare: *Nil credens actum cum quid superaret agendum*, an *acti credens*, praeferendum sit. Fortasse sic statui potest: ubi infinitivus cum accusativo requiritur, non est locus genitivo. Caesar credit *nihil actum esse*, se nihil egisse. Liv. XXII. 37. *Quum mandatum sibi de his nominatim negarent quidquam.* Seneca Medea 993. *Nil adhuc factum reor.* Gronov. in utroque exemplo genitivum praetulit, et comparat Ovid. Heroid. XIV. 82, *queritur facti sanguinis esse parum.* Talium exemplorum, adiectivi cum substantivo coniuncti non eadem est ratio.

Ex more principatus, per nuntios visentis. Fortasse in voce *principatus* nonnihil acerbi est, quod minus esset in *principis*, ut nonnulli legere volebant. Tum potius scripsisset *principum;* quamquam in *principis* cogitatur genus, non tantum Domitianus, non τοῦ *principis.* Principes autem, ut hodie, per nuntios visebant aegrotantes, honoris caussa. Si ipsi viserent, putabant se insignius documentum benevolentiae dare: *cf.* Oudend. ad Sueton. Tib. 11.

Libertorum primi et medicorum intimi. Ernestus transponebat: *libertorum intimi, et medicorum primi.* In hac caussa *primi* et *intimi* non multum differunt. *Primi medici* sunt excellentes. Principes non aliis uti solent. Sed omnes medici non sunt intimi. Opera paucorum, intimorum, in re tali adhibebatur. Tacit. Annal. IV. 3. *Eudemus, amicus ac medicus Liviae, specie artis frequens secretis.* XII. 62. *Provisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet.* Liv. XL. 60. *Medicus Calligenes, qui curationi praeerat, non exspectata morte regis, a primis desperationis notis, nuntios praedispositos, ita ut convenerat, misit ad Perseum.* Tales esse oportet *intimos.* Domitianus per eos Agricolam, si non sat cito moreretur, vel metus esset, ne convalesceret, occidere poterat. Quod saepe accidit, v. c. quum Dionysius filius per medicos patri soporem dedit, apud Nepotem in Vita Dionis c. 2.

Per dispositos cursores nuntiata constabat. In Mss. *constabant.* Correxit Rhenanus. Si *constabat* deesset, non desiderarem. Quid opus erat sic affir-

momenta ipsa deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente sic accelerari, quae tristis audiret. Speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit, securus iam odii, et qui facilius dissimularet gaudium quam metum. Satis constabat, lecto testamento Agricolae, quo co-

mare, quod omnes suis oculis videre potuerint? Dubitaverat, fuissetne hoc cura Domitiani an inquisitio: mox significat se credere, fuisse inquisitionem; supremo certe die momenta ipsa Domitiano nuntiabantur. Nec pulchre sic brevi intervallo iunguntur *nuntiata constabat*. — *Satis constabat*. De *cursoribus* cf. interpretes ad Plinii Epist. VII. 12.

Speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit. Unus omnium locorum fere difficillimus intellectu, ut mihi quidem videtur. Quam difficilis aliis quoque, multae coniecturae testantur. Gronovius *mimo vultuque*. Laudat Ernestus. Viri docti saepe *mimus* pro *animus* reposuerunt, iam Salmasius ad Gallicanum in vita Avidii Cassii 7, et post Gronovium alii magno numero, interdum in eo nimii, blandiente, puto, literarum similitudine, et elegantia figuratae significationis. Mihi quidem hic non placet. Domitianus *speciem doloris prae se tulit* sufficiebat. Simulatio iam inest in *specie*. *Species* variis modis simulatur. Primus ac praecipuus semper est, imago animi, *vultus*. Recte igitur *vultu prae se tulit*. *Vultus* ita *animo* vel tacite vel expressis verbis opponitur. Notum est illud Virgilii: *spem vultu simulat, premit alto corde dolorem*. Tacit. Hist. II. 65. *Laetitiam et gratulationem vultu ferens, animo anxius*. IV. 31. *Dixit sacramentum, non vultu neque animo satis affirmans*. Dolor quoque simulatur *habitu*. Sic Ernestus coniiciebat: et Latina sunt *habitu vultuque prae se tulit*. Horat. Satir. II. IV. 91. *Adde Vultum habitumque hominis*. Tacit. Hist. II. 52. *Quod infensum Othoni senatum arbitrabantur, custodire sermones, vultum habitumque trahere in deterius*. Deinde simulatur lingua aliisque modis, v. c. Cicero pro Plancio 14. *Hic, quod cum ceteris animo sentiebat, id magis quam ceteri vultu promptum habuit et lingua*. Tacit. Annal. IV. 12. *Senatus populusque habitum ac voces dolentum, simulatione magis, quam libens, induebat*. VI. 20. *Caius immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exsilio fratrum rupta voce; qualem diem Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis*. Ubi coniicio: *qualem dies Tiberio induisset, pari habitu*. ut Homericum illud τοῖος γὰρ νόος — οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι κ. λ. Annal. VI. 50. *Tiberius sermone ac vultu quamvis manifestam defectionem tegebat*. Alias coniecturas *omnino vultu*, *amictu vultuque*, et meam olim propositam, *speciem tamen doloris imitamento vultuque prae se tulit*, ut Annal. III. 5. *Laudationes et lacrimas et doloris imitamenta*, has igitur coniecturas silentio praetereo; et Oberlinus exclamat: „Apage coniecturas! sensus; vultum ita composuit, quasi animo quoque infandum dolorem concepisset. Iam sic noster Hist. I. 85. erat locutus. Recte sic Acid. Scheff., Boxh." *Animus vultusque* coniuncti significant, puto, eos convenire, esse eosdem, veram animi effigiem vultu exprimi. Tale est, quod affert Ober-

heredem optimae uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum velut honore iudicioque. Tam coeca et corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi heredem nisi malum principem.

XLIV. Natus erat Agricola Gaio Caesare tertium consule Idibus Iuniis; excessit quarto et quinquagesimo anno, decimo Kalendas Septembres Collega Priscoque consulibus. Quod si habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam

linus, Hist. I, 85. *Ut quemque nuntium fama attulisset, animum vultumque conversi, ne dissidere dubiis ac parum gaudere prosperis viderentur:* illi revera mutabant animum et cum animo vultum, sumebant vultum animo congruum. Adde Plin. Epist. VII. 1. *Ad abstinentiam rursus, non secus ac modo ad balineum, animum vultumque composui,* Aequo animo tuli, idque vultu significavi, quod medici mihi balineum dissuadebant. Iam *dolor* est affectus animi. Speciem doloris, fietum dolorem, possumus prae nobis ferre *vultu*, vultu profiteri, palam ostendere; *speciem dolentis ostentare*, ut est apud Curt. X. 9. sed in specie animus est vultui dispar, vultus dissentit ab animo. Quomodo hic *animo vultuque* coniungi possint, et simulatus dolor animo praeferri, tam difficile dictu est, quam facile quid sit Latinum: v. c. *sermone vultuque, habitu vultuque, speciem tamen dolentis animi vultu prae se tulit.* Fortasse autem frustra explicare vel emendare conamur, quod est glossatorum. Sane, quod Tacitus volebat, breviter et perspicue significatur solis verbis: *speciem tamen doloris prae se tulit, securus iam odii, et qui facilius dissimularet gaudium quam metum.* Annotavit Wexius: „Hoc loco etiam animus aliquid est, quod affectatur ad simulandum dolorem. Sit igitur necesse est aliquis quasi gestus, quo doloris speciem prae se ferre posset. Intellige igitur eum animi *habitum* (stimmung) unde alii suspicari possent, eum dolore percitum esse." Putabam *habitum animi* esse eum, quem animus revera habet. Verum dissimulamus, falsum simulamus. Qui habitum prae se fert, nec dissimulat, nec simulat, sed profitetur, qualis sit. Ergo Domitianus prae se ferre debebat *animum laetum.* G. F. Schoemannus apud Feilitzsch. „Quid apertius esse potest, quam, si quis, quum animo non doleat, vultu tamen speciem doloris prae se ferat, huius contrarium animo vultum esse; nam animo laetus, vultu tristis est, vultus tristitia animi laetitiam celat ac dissimulat. Et tamen, qui sic ficto vultu, quo sit animo dissimulat, hunc non solum vultu, sed etiam animo doloris speciem prae se ferre dicemus?" Idem laudat coniecturam *sermone vultuque*, et confirmat loco Taciti, supra a me allato.

Velut honore iudicioque. Acute dictum. Ipsa testamenta vocabantur *honos* et *iudicium*: cf. Tennul. ad Frontin. Strateg. III. 16. et Gronov. ad Iustin. V. 11. Tacit. Annal. III. 76. *Testamentum eius multo apud vulgum rumore fuit, quia in magnis opibus, cum ferme cunctos proceres cum honore nominasset, Caesarem omisit.* Ut igitur testamenta libera republica erant honos et iudicium, ita nunc metus ea

sublimior fuit; nihil metus in vultu; gratia oris supererat. Bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse

dictabat, neque inde honos veniebat ad heredem, neque hoc erat iudicium, quanti mortuus eum fecisset.

A bono patre non scribi heredem nisi malum principem. Melius fortasse: *a bono patre non scribi heredem principem, nisi malum.* Sic certe vitatur ambiguum, quod est in vulgato: bonus pater nullum scribit heredem, nisi malum principem. Ceterum pari modo in verbis ludit Cicero Tusc. Quaest. V. 19. *Populus a bono Consule potius quam ille a malo populo repulsam tulit.* Plin. Panegyr. 36. *Fisci mala caussa nunquam est, nisi sub bono Principe.*

Excessit quarto et quinquagesimo anno. Vir doctus, fortasse Isaacus Vossius, ut putabat Bergmannus, ad edit. Lips. annotavit: „Emendo *tertio.* Error ortus est ex notis III, unde perperam librarius fecit VI. Nam Caius Caesar tertium consul fuit anno u. c. DCCXCII at Pompeius Conlega et Corn. Priscus a. DCCCXLV. Intermedii sunt anni LIII." Wexius edidit *quarto et quinquagesimo*, quod accurate defendit, laudante Kritzio, quos sequor.

Nihil metus in vultu; gratia oris supererat. In uno Vatic. *nihil impetus in vultu*, in altero *nihil metus et impetus in vultu.* Puteol. *nihil metus in vultu*, et sic in margine Cod. Vaticani. Vulgo, et olim et nunc, interpretantur *nihil in vultu, quod metum incutere posset;* atque eam significationem confirmant ex Quintil. Instit. Orat. V. 2. 21. Magis perspicue A. Gellius N. A. IX. 12. Metus *quoque et incuria atque alia quaedam id genus, sic utroque versum dici possunt. Nam* metus hostium *recte dicitur, et quum timent hostes et quum timentur. Itaque Sallustius in Historia prima* metum Pompeii *dixit non quod Pompeius metueret (quod est usitatius) sed quod metueretur. Verba haec Sallustii sunt:* Id bellum excitabat metus Pompeii victoris Hiempsalem in regnum restituentis. *Item alio in loco:* Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit. Iniurias *itidem dicimus tam illorum qui patiuntur, quam qui faciunt. Quarum dictionum exempla sunt facilia inventu.* Sane sunt facilia inventu, multique interpretes collegerunt, nominati a Davisio ad Hirtium de B. Afric. 32 et Burm. ad Phaedri Fab. II. 8. aliis. Substantiva nempè, *timor*, *metus*, *terror*, *iniuria*, *odium*, *amor* sim. habent significationem activam et passivam. Sed semper additur nomen illius qui *metum* facit vel patitur, ut *metus Pompeii.* Sententia loci ostendit significationem. *Nihil metus*, nullus metus erat in vultu Agricolae, vix, puto, hic Latinum est, nisi v. c. ipso illo temporis momento, quod Agricolae metum incussisse dixissemus, *nihil metus in vultu fuisse*, adderetur; v. c. in fine cap. 35, brevi ante proelium illud periculi plenum. Talia sunt: *Nullae in fronte minae nec formidabile lumen, Pacem vultus habet*, apud Ovid. Metam. II. 857. *multum ferociae in vultu*, et Hildebertus in Vita S. Radigundis, Oper. p. 889, *nihil artis in vultu*, et alii affectus animi, qui *in vultu* nostro apparent, non nos adspicientibus induuntur. Neque Ernestus vulgatum ferebat: „*Metus* in descriptione tali vix locum habere videatur, sed expressit, ut opinor, *ἀταραξίαν* perpetuam, tranquillitatem vultus. *Impetus* de vultu vix dicitur aut commode intelligi potest." Ernestus sensisse videtur difficultatem huius quoque interpretatio-

quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit; quippe et

nis, quia ἀταραξίαν vocavit *perpetuam.* Bipontini legunt: *nihil ineptum in vultu,* quod scite ab iis firmari putat Oberlinus ex Cic. Orat. 18. Equidem Mss. hic valde esse corrupta arbitror. Simile quidem exemplum huic nostro adhuc non reperi. Ostendo tamen Valer. Flacci II. 21, de scopulis, quos terra imposuit gigantibus. *Quisque suas in rupe minas, pugnamque metusque Servat adhuc.* Servant minas et metus, olim Deis intentatos, ut in Sallust. 61, Catilina *ferociam animi, quam habuerat vivus, in voltu retinens.* Clarius Plutarchi ista in Vita Demetrii 2. τὸ γὰρ πρόσωπον χάριν καὶ βάρος καὶ φόβον καὶ ὥραν εἶχε. Coniicio: *Nihil imperatorii in vultu, gratia oris supererat.* Habitus Agricolae iam erat non sublimis, ut ducem exercitus decebat, neque habebat vultum imperatorium. Contrarium laudat Nepos in Iphicrate 3. *Fuit autem et animo magno et corpore, imperatoriaque forma, ut ipso adspectu cuivis iniiceret admirationem sui.* Quod in uno Vatic. legitur *metus et impetus* in eo *et impetus* ex margine fluxisse videtur, et librarius significasse legi quoque *impetus:* „et *impetus.*" In Mss. Vatic., ut iam alibi diximus, et a Wexio in Prolegom. monstratum est, syllabae *or er ro* sim. omittebantur; ita v. c. *prius* ortum ex *proprius* vel *patrius*, *praelium* ex *proeli'um:* et ex *impe'tii* oriri potuit *impetus* pro *imperatorii.* Tacitus adiectivo utitur Annal. II. 11. *Germanicus, nisi pontibus praesidiisque impositis, dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus.* i. e. haud boni ducis ratus. Si tam uteretur nomine *imperatoris*, pro duce, non peius iudicarem: *nihil imperatoris in vultu, gratia oris super-erat,* Agricola *vultu imperatorem* non praeferebat, ut Martial. Epigr. V. 61. *Procuratorem vultu qui praeferat ipso.* Ovid. Heroid. VI. 123. *Si quaeris cui sint similes, cognosceris illis. Fallere non norunt, cetera patris habent.* Horat. Carm. IV. 18. *Quid habes illius, illius, Quae spirabat amores?* i. e. illius Lyces in flore iuventae. In nomine *imperatoris, regis, principis, consulis* sim. saepe aliquid significatur, quod vulgo esse debet proprium illi, qui hoc nomen gerit, sive in corpore sive in animo, quod *decet*, ut Ovid. Metam. II. 13. *Facies non omnibus una, Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.* Crassus apud Quintil. Instit. Orator. VIII. IV. 89. *Ego te consulem cum putem, tu me non putes senatorem.* Plin. Panegyr. 20. *Illud iter Domitiani fuisse, non principis.* Trebellius Pollio in Zenobia: *Imperatorem te esse cognosco, qui vincis. Gallienum et Aureolum et ceteros principes non putavi.* Vulcatius Gallus in Cassio 13. *An ego proconsules, an ego praesides putem, qui ob hoc sibi a senatu et ab Antonio provincias datas credunt, ut luxurientur.* Hinc puto explicandum, qnod Apostolus Paulus dicebat Actor. XXIII. 5. οὐκ ᾔδειν, ἀδελφοί, ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς. Paulus probe sciebat Ananiam esse Pontificem, sed ambigue significat, talem Pontificem, qui se nomine isto et honore tam indigne gessisset, non videri esse Pontificem. Iudaei aliter accipiebant. Sic in loco Maccabaeorum II. IV. 13. ἦν δ' οὕτως ἀκμή τις Ἑλληνισμοῦ, καὶ πρόσβασις ἀλλοφυλισμοῦ διὰ τὴν τοῦ ἀσεβοῦς καὶ οὐκ ἀρχιερέως Ἰάσωνος ὑπερβάλλουσαν ἀναγνείαν. Iasonis, non pontificis.

vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito quid aliud adstruere fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat, spe-

Bonum virum facile crederes, magnum libenter. Qui Agricolam ignorabant, primo visu facile, statim, crederent affirmantibus bonum esse virum. Decens habitus, vultus verecundus, oris multa gratia fidem faciebant. Iisdem autem affirmantibus eundem quoque magnum virum esse, libenter crederent, quamquam vix intelligere possent. Wexius: "hominis, qui invisus nobis est, invito animo et aegre agnoscimus quas habet virtutes, contra quem amamus, eius bona animo et libenti agnoscimus, et praedicamus."

Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus. Nonnulla in his minus apte inter se cohaerere videntur. Aptius, puto, in hunc ordinem transposita connecterentur: *Bonum virum facile crederes, magnum libenter. Opibus nimiis non gaudebat, quippe et speciosae contigerant, et vera bona, quae in virtutibvs sita sunt, impleverat. Ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit. Et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito, quid aliud adstruere fortuna poterat? Filia atque uxore superstitibus, incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis, potest videri etiam beatus futura effugisse.* Non *gaudebat* opibus nimiis, non delectabatur, eas non magni faciebat; neque erat, cur vir talis optasset. Nam satis amplae contigerant, unde honeste vivere et dignitatem tueri posset, et, quod maius, *vera bona*, in virtutibus sita, impleverat. *Vera bona* opponuntur *opibus*, divitiis. Tacit. Hist. IV. 5, de Helvidio Prisco: doctores sapientiae secutus est, *qui sola bona, quae honesta, mala tantum, quae turpia: potentiam, nobilitatem ceteraque extra animum, neque bonis neque malis annumerant.* Agricola idem didicerat Massiliae. Vera illa, aeterna non mortalia, *coelestia*, ut Christiani loquuntur, *impleverat*, tantam eorum copiam sibi comparaverat, ut mensura esset impleta, nec quidquam addi posset. Multa in Tacito per negligentiam librariorum male traiecta videntur. Ita Annal. XIV. 11. *Namque et naufragium narrabat — perfringeret* ponenda videntur post *quod oratione tali confessionem scripsisset.*

Medio in spatio integrae aetatis. Agricola habebat annos quatuor et quinquaginta quum moriebatur. *Integra aetas* est *adolescentia. Adolescentia* vulgo in usu communi maximam vitae partem complectitur, media quippe inter pueritiam et senectutem. Cicero de Senect. 3. *Qui citius adolescentiae senectus, quam pueritiae adolescentia subrepit?* Agricola erat inter adolescentiam et senectutem, et fere talis, qualem aliquis depinxit Ovid. Metam. XII. 464. *Huic aetas inter iuvenemque senemque. Vis iuvenilis erat, variabant tempora cani.* Sic Agricola nondum *senex*, propior tamen erat senectuti, quam ut ereptus dicatur *medio in spatio integrae aetatis.* Da v. c. adolescentiae spatium quadraginta annorum, adde annos pueritiae, quantum deerat, quominus esset aetate non integra, senili? Quare spatium ab aetate separandum, et legendum puto: *quamquam medio in spatio, integra aetate, ereptus;* ereptus medio in spatio laudis virtute et meritis partae, et

ciosae contigerant. Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente fama, salvis

spei, fore ut duraret in beatissimi saeculi lucem et videret principem Traianum, quod cum amicis augurio votisque ominabatur. Cicero de Orat. III. 2. *O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam et inanes nostras contentiones, quae in medio spatio saepe franguntur et corruunt, et ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt.* Agricola erat, etiam aetate integra, neque senex, neque viribus imminutis. Wexius: „medium spatium non intelligendum est vitae spatium, sed medius rerum gerendarum cursus, qui incidit in aetatem integram. Cic. de Orat. III. 2. 7. Ereptus est igitur Agricola in medio curriculo, quod emetiri solet integra aetas, sive quod percurrimus in ipso aetatis flore."

Longissimum aevum peregit. Anni quippe non exspectandi nec numerandi. Sententia a multis ornata. Cicero Philip. V. 17. *C. Caesar ineunte aetate docuit, ab excellenti eximiaque virtute progressum aetatis exspectari non oportere.* Unde Francus poeta: *aux ames bien nées La vertu n'attend pas le nombre des années.* Albinov. ad Liv. 447. *Quid numeras annos? vixi maturior annis. Acta senem faciunt, haec numeranda tibi. His aevum fuit implendum, non segnibus annis.* Plura in eam sententiam Freinsh. ad Curt. IX. vi. 18, et Burm. ad Lotichii poëm. p. 270.

Quid aliud adstruere fortuna poterat? Vox Plinio in delitiis Epist. II. 2. *Magni aestimo dignitati eius aliquid adstruere.* cf. interpr. et ad Ovid. Art. Am. II. 119.

Filia atque uxore superstitibus. Haec in mortis solatio censentur. Plin. Epist. I. 12. *Evasit perpetuam valetudinem. Decessit superstitibus suis, florente republica.* Valer. Max. II. v. 8. *Reliquias spiritus mei prospero fine, duas filias et septem nepotum gregem relictura, permuto.* Velleius Paterc. I. 11. *Metellus quatuor filios sustulit, omnes adultae aetatis vidit, omnes reliquit superstites et honoratissimos.* Hoc illud est, quod optat Penelope apud Ovid. Heroid. I. 101. *Di, precor, hoc iubeant, ut, euntibus ordine fatis, Ille* (Telemachus) *meos oculos comprimat, ille tuos.* Maxima est miseria in contrario: Virg. Aen. XI. 159. ubi Euander de uxore et erepto filio Pallante: *Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem. Contra ego vivendo vici mea fata, superstes Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum Obruerent Rutuli telis.* Servius: „ut superstes essem filio meo." Kritzius: „caussam beatitudinis ponit Tacitus in eo, quod Agricola, quoad vivebat, filia atque uxore non orbatus fuit." Wexius ex coniectura Sellingii edidit: *opibus nimiis non gaudebat, speciosae contigerant filiae atque uxori superstitibus. Potest videri* sq. i. e. opes nimias non expetendas putabat; una autem caussa, propter quam opes expetere potuerat, ut superstitibus suis cautum esset, ea moveri non poterat, quoniam illis satis speciosae opes contigerant; quum uxor bona haberet a parentibus accepta, filia Tacito nupta satis locuples esset." Pro *speciosae contigerant* in Vaticanis legitur *non contigerant*, correxit Rhenanus. Fortasse male repetitum ex prima syllaba in *contigerant*, vel, ut Wexius putat, corruptum ex *n.* i. e. *enim.* Recte animadvertit Dronkius codicum lectioni, praeterquam quod nulla in ea opposi-

affinitatibus et amicitiis, futura effugisse. Nam sicuti durare in hanc beatissimi seculi lucem ac principem Traianum videre quondam augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solatium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per in-

tio est, obstare quae cap. 6 de *abundantia*, cap. 42 de salario *non petito*, et cap. 58 de *testamento* dicta sunt. Remanet, puto, difficultas nata ex verbis Dionis Cass. LXVI. 20. *ὁ δὲ Ἀγρικόλας ἔν τε ἀτιμίᾳ τὸ λοιπὸν τοῦ βίου καὶ ἐν ἐνδείᾳ, ἅτε καὶ μείζονα ἢ κατὰ στρατηγὸν καταπράξας ἔζησε. καὶ τέλος ἐσφάγη διὰ ταῦτα ὑπὸ Δομιτιανοῦ.* Tacitum ei non fuisse ignotum ex multis indiciis constat. Cur hic ita discrepare potuerit, non intelligo. Coniiciat aliquis eum vidisse codicem, in quo scriptum esset: *speciosae non contigerant;* mihi verosimilius videtur legendum esse: *καὶ ἐν δέει, ἅτε κ. τ. λ.* Agricola, quod vitae superfuit, degit non tantum nullo honore a Domitiano ornatus, sed relicta modo senatoria dignitate ac praeterea etiam neglectus et contemptus, et in perpetuo metu, quippe propter tantas res gestas et imperatoriam boni ducis laudem, tyranno metuendus. Semper enim timendae erant accusationes. Ita iam erat sub Tiberio. Annal. VI. 8. *Quibus infensus esset* (Seianus) *metu ac sordibus conflictabantur.* VI. 38. ubi Arruntius: *sibi satis aetatis, neque aliud poenitendum, quam quod inter ludibria et pericula anxiam senectutem toleravisset.*

Potest videri etiam beatus. Sic Annal. XIII. 17. *Ut iam non praematura neque saeva mors videri queat quamvis inter sacra mensae* sq. Seneca Suasor. VI. refert verba Livii: *mortem, quae vere aestimanti minus indigna videri potuit.* In *videri potest*, *potuit* est iudicium narrantis, non illius de quo narratur. Dubito an hoc reputaverint interpretes, qui transpositionem Doederlini *florente fama, filia atque uxore superstitibus, salvis affinitatibus et amicitiis futura effugisse* propterea quoque non probandam esse putabant, quia *superstites* is demum habet qui mortuus est, non qui moriturus.

Nam sicuti durare in hanc beatissimi seculi lucem. In Vatic. legitur *in hac luce, quod augurio.* In codice Ursini *nam sicuti magnae cuiusdam felicitatis esset, durare*, unde Wexius edidit: *nam sicuti magnae cuiusdam felicitatis esset, durare in hac beatissimi seculi luce.* Ego hic secutus sum, quod edidit Kritzius: *in hanc lucem* debetur Acidalio, *quondam* Rittero. Kritzius universi loci sententiam sic declaravit: „nam quamquam quondam mihi significabat, putare se meliora tempora non remota esse, quae et ipse attingere posset, atque principem Traianum fore, quem videre valde cuperet, tamen hac spe deceptus, in festinata morte minus miserandus videtur, propterea quod evasit postremum illud tempus." Considerans tamen quod in Cod. Ursini, cuius fidem bene defendit Wexius in Prolegom. p. 12 sq. considerans igitur, quod in eo codice legitur, *nam sicut magnae cuiusdam felicitatis esse durare*, verbis transpositis sententiam haud peiorem constitui arbitror: *Nam sicuti durasse in hanc beatissimi seculi lucem, ac principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabamur,*

tervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit.

grande solatium tulit; ita magnae cuiusdam felicitatis est festinata morte evasisse postremum illud tempus. Mutavi *durare* in *durasse.* Prius *durasse* oportuit, ut *viderent* lucem illam. Duramus in malis, quoad certo die finiantur. Malis finitis, *duravimus* in illum diem. Claudian. de VI. Cons. Honorii 547. *Exsultant iuvenes aequaevi principis annis. Temnunt prisca senes, et in hunc sibi prospera fati Gratantur durasse diem.* Pro *ominabatur* scripsi *ominabamur*, nos, Agricola et amici, tacite exspectantes meliora tempora; quae haud diu abesse augurabamur, quum tanta Domitiani saevitia non amplius tolerari posse videretur. Haec illi apud aures suas, inter se, caute agitabant. Multi, ut scribit in exordio, fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderant, in quibus et Agricola. Superstites solatium malorum habuerunt, videntes Traianum. Mala ista postrêmo tempore fuere tanta, ut fortasse recte appellari possint felices, qui prius morte intercepti sunt, *morte festinata.* Ea *festinatur* natura, i. e. morbo, casu, vi aliena, vi quam sibi quis ipse infert. Martial. Epigr. VII. 39. *Occidit illa prior, viridi fraudata iuventa — Sed festinatis raptum te credidit annis, Adspexit lacrimas quisquis, Etrusce, tuas.* Tacit. Annal. IV. 28. *Quia periculum pro exitio habebatur, mortem ipse festinavit.* Eadem quoque est ratio verbi *properare.* Annal. II. 3. *Petiturum se vitam, quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset.* Cf. Gronov. ad Annal. VI. 8. Tibull. IV. I. 205. *Seu matura dies celerem properet mihi mortem, Longa manet seu vita.* Ovid. Trist. III. III. 33. *Vel poena in mortis tempus dilata fuisset, Vel praecepisset mors properata fugam.* Sic amicorum *mors festinata* praecepisse dicitur illud postremum tempus Domitiani. Mors ἔφθη. φθανόντες ἀπέθανον, quod videri potest magna quaedam felicitas nobis, ista mala perpessis.

Per intervalla ac spiramenta temporum. Omittendum puto *temporum*, quia modo legitur: *postremum illud tempus.* Nihil ingratius tali repetitione: et vox *temporum* hic prorsus supervacua. Iam saepe a me dictum est, totum hunc libellum glossis librariorum esse inquinatum. Multas sustuli. Multae sine dubio supersunt ab aliis deinde tollendae.

Continuo et velut uno ictu rempublicam exhausit. Interpretes omnes illustrant ex Seneca de Ira III. 19. *Homo, qui de toto senatu trucidando cogitabat; qui optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua in unum ictum et unum diem cogeret.* Caligula, ut narrat Sueton. 30, *Infensus turbae faventi adversus studium suum, exclamavit: utinam populus Romanus unam cervicem haberet!* Si quid adiecisset Caligula, nunquam puto, adiecisset: *ut uno ictu exhaurirem;* Sed, uno ictu caput *meterem, abscinderem*, vel simile, quod recte ad *cervicem* referretur. In *ictu* est notio vulnerandi. Quando hostis partem corporis hostilis gravissime vulnerat, dicitur eam *haurire*, ut *latus, pectus*, alia. Livius VII. 10. *Uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit, et in spatium ingens ruentem porrexit hostem.* Exempla *hauriendi*, praesertim apud poëtas, multa reperiuntur. cf. interpretes ad Sil. Ital. I. 391.

XLV. Non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum, et eadem strage tot consularium caedes, tot

Iam *hostis* haurit partem hostilis corporis, non haurit *hostem*, neque *exhauriendi* exemplum mihi cognitum est. Ipsum illud *exhausit* ita cum *spiramentis* coniunctum et alia nos ducunt, ad metaphoram in tali crudelitate celebratissimam, nempe: *evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus, non iam per intervalla ac spiramenta, sed continuo et velut uno hiatu rempublicam exhausit.* Domitianus rempublicam exhausit caedibus et sanguine, cuius tanta ille siti ardebat, ut expleri non posse videretur. Ergo bibit non per intervalla ac spiramenta, non identidem cessans et respirans, sed ut instar ferae bestiae, rictu aperto, continuato et uno hiatu oris sanguinem non lamberet aut sorberet, sed omnem propemodum cum ultima gutta exhauriret! Turpissima sane et tam fastidii quam horroris plena imago, sed eam scelera Domitiani Tacito expresserunt. Sic optimi scriptores saepe omnia irae atque indignationi frena remittebant. Ratio appositis exemplis cognoscetur. Cicero Philipp. II. 29. *Gustaras civilem sanguinem, vel potius exsorbueras.* XI. 6. *Quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cuius sanguinem non bibere censetis?* Neroni, multa saeve et atrociter factitanti, in Epigrammate, ut narrat Suetonius 59, exprobratum est: *Fastidit vinum, quia iam sitit iste cruorem. Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum.* Plin. Panegyr. 48. de ipso Domitiano: *Remoramur, resistimus, ut in communi domo, quam nuper illa immanissima bellua plurimo terrore munierat; quum velut quodam specu inclusa, nunc peregrinorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages caedesque proferret.* Lactant. Instit. V. 9. *Ne sanctum ac pium nomen iustitiae illo ore violent, quod cruore innocentium, tanquam rictus bestiarum, madet.* In *hiatu* notatur *aviditas*. Tacit. Histor. IV. 32. *Libidine sanguinis et hiatu praemiorum ignotum adhuc ingenium et nullis defensionibus expertum, caede nobili imbuisti.* Arnob. I. p. 39. *Non libidinum exstinxit flammas? Non hiatum compressit aviditatis?* Cf. Markl. ad Statii Silv. III. II. 61. Ceterum mutatio vocis *ictu* in *hiatu* est levissima. Scribebatur nempe *iatu*, omissa, ut saepissime, litera *h*. Tacitus autem in *hiatu exhaurire* expressisse videtur Graecum *χανδὸν πίνειν*, ut in *non per spiramenta exhaurire*, *ἀπνευστὶ πίνειν*. P. Burmannus ad edit. Lips. annotaverat: „*ictu* non respondet *τῷ exhausit.* D'Orvill. malebat *ductu*, vera coniectura, pro uno quasi halitu spiritus; et sic recte huic locutioni *spiramentum temporum* respondebunt."

Non vidit Agricola obsessam curiam. De morte opportuna, homines a multis miseriis servante, quibus superstites postea vexati fuere, atque sententia varie a scriptoribus ornata, dixi nuper ad Horat. Satir. I. IX. p. 173. Addo Liv. XXVI. 13. *Cruciatus contumeliasque — effugere morte possum. Non videbo Ap. Claudium et Q. Fulvium, victoria insolenti subnixos, neque vinctus per urbem Romanam triumphi spectaculum trahar — nec dirui incendique patriam videbo.* Auson. Prof. Burdigal. 5. *Minus malorum munere expertus Dei, Medio quod aevi raptus es.* Stat. Silv. II. I. 220. *Ast hic, quem gemimus, felix, hominesque Deosque Et dubios casus et coecae lubrica vitae Effugit immunis fati. Non ille*

nobilissimarum feminarum exsilia et fugas. Una adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat, et Massa Baebius etiam tum reus erat. Mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus, nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine

rogavit, Non timuit, meruitque mori. Ubi leg. *Effugit fati immunis.* Nec *meruit* sollicitandum. Vult enim poëta, Glauciam sua constantia hoc esse meritum, ut moreretur, Dei mortem illi, tamquam *munus* donarent. Marklandius corrigebat *renuitve mori.* Ex eadem sententia Ernestus interpretabatur Taciti Annal. IV. 62. *Et illi quidem, quos principium stragis in mortem adflixerat, ut tali sorte, cruciatum effugere. Miserandi magis, quos, abrupta parte corporis, nondum vita deseruerat.* putat Ernestus Tacitum reliquisse intelligendum *felices*, et plenum esse: *ut tali sorte, felices, qui cruciatum effugissent.* Locus, puto, facilius intelligetur, mutata distinctione et sublato glossemate: *Et illi quidem,* quos principium stragis in mortem adflixerat, *ut tali sorte, miserandi: magis, quos abrupta parte corporis nondum vita deseruerat.*

Nobilissimarum feminarum exsilia et fugas. Burmannus editioni Lips. adscripserat: *familiarum.* Non memorassem, nisi eandem coniecturam in Anthol. Latina T. II. p. 693, prodidisset. Iam Dronkius defendit *feminarum,* et nomina Gratillae, Arriae, Fanniae, Plinius servavit. Tacitus exempla ista saevitiae Caesarum adversus feminas alibi quoque annotat, ut Annal. XIV. 12. ubi Nero *feminas illustres Iuniam et Calpurniam sedibus patriis reddidit,* et quae de Lollia Paulina et Silaua adduntur.

Una adhuc victoria Carus Metius censebatur. Homines re aliqua *censentur*, iudicantur, aestimantur, in utramque partem, ut ita laudentur vel culpentur. Burm. multa de hoc verbo congessit ad Rutilii Iter I. 476, et Seren. Sammonic. 16. Sed haesisse videtur in una laudis significatione. Tacitus acerbe de Metio, quasi dixerit: una adhuc victoria erat infamis. Fuit interpres, qui Tacitum in nomine *Cari* lusisse putaret. Tanta ineptia in eum cadere non potuit. Vix conceditur poëtae, nec nisi in Satira, vel epistola familiari, quales Ovidianae ex Ponto, et in Tristibus. Statio quidem in epistola ad Meliorem Atedium Silv. II. fortasse imprudenti, excidit: *Melior, vir optime.*

Etiam tum reus erat. Ita Gronovius legebat et hoc melius videtur. Vulgo *iam tum. Iam tum* significat initium meliorum temporum, *etiam tum* finem temporum nondum prorsus tam malorum, quam quae secuta sunt. Tacit. Annal. I. 3. *Nam etiam tum legato a centurionibus parebatur.*

Mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus. Numerus verborum, meo sensu, tristi suavitate pulcherrimus, posita praesertim in fine *manus.* Talia fiebant in senatu! Plinius Epist. IX. 13. *Porro inter multa scelera multorum nullum atrocius videbatur, quam quod in senatu senator senatori, praetorius consulari, reo iudex manus intulisset.* Tacit. Histor. IV. 41. *Nec destitit senatus manus intentare Voculae, donec curia excederet.* Atque hunc quidem meritum. Vis tamen indigna senatu.

Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos suos, iussitque scelera, non spectavit; praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et adspici, quum suspiria nostra sub-

Nos Maurici Rusticique visus. Ita legitur in utroque Vaticano. Sed in Cod. Ursini et margine unius Vaticani, *nos Mauricium Rusticumque divisimus.* Hoc Broterius interpretatur: „alterum exsulare, alterum interfici iussimus." Laudarem, si discrimen ipsius poenae fuisset additum, v. c. *nos Mauricum Rusticumque inter exsilium et necem divisimus.* Sic fere invenio loqui Senecam de Ira III. 37. *Magnam rem, si tres senatores, quasi nequam mancipia, inter verbera et flammas divisit homo, qui de toto senatu trucidando cogitabat.* Ernesto Broteriana interpretatio non placebat, mihi non placet syllepsis Ernestina: „nos adspectus abeuntis in exsilium Maurici Rusticique excruciavit, nos cruor innocenter occisi Senecionis." Multae sunt aliorum coniecturae *visus miseratione*, *Rusticique vidimus casus*, *nos in Mauricum Rusticumque saeviimus*, *Rusticique divisus.* Fortasse in *nos Mauricium Rusticumque divisimus* latet *nos Maurici exsilium Rusticumque caedi vidimus.* Gradus corruptelae sunt: *Maurici exsilium — Mauricilium — Mauricium. Rusticumque caedi vidimus — Rusticuce cedi vidimus — Rusticu divisimus.* Wexius: „Rusticum, quum damnatus ad mortem abduceretur, de fratris complexu divellendum fuisse" interpretatur. Kritzius: „per Zeugma ad *visus* cogitandum est *perculit* vel *afflixit.*"

Videre et adspici. Valer. Max. II. 1. *Si pariter et videre sancte, et adspici mutuo pudore custodiebantur.* Videre scelera, et Domitianum spectantem sua scelera, et adspici a Domitiano eiusque intimis, qui suspiria nostra subscribebant, cum interea ipse contra pudorem rubicundo vultu esset satis munitus. *Adspicimus* certo quodam consilio, *videmus* non adeo. Valerius Max. II. I. 5. *Nulli enim tunc subsessorum alienorum matrimoniorum oculi metuebantur; sed pariter et videre sancte, et adspici, mutuo pudore custodiebantur.* Nemo *adspiciebat* matronas, ἔβλεπε πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι, ut est in N. T., omnes sancte adspiciebant, ut ipsae sancte *videbant.* Alioquin idem verbum repetitur. Cicero ad Q. Fratr. Epist. I. 4. *Ego te videre noluerim? Imo vero me a te videri nolui. Non enim vidisses fratrem tuum, non eum, quem reliqueras.*

Suspiria subscribebantur. Memorari in tali saevitia solent *gemitus*, *lacrimae*, et alia doloris indicia. Tacit. Annal. VI. 10. *Ne feminae quidem exsortes periculi; quae occupandae reipublicae argui non poterant, ob lacrimas incusabantur, necataque est anus Vitia, Fuvii Gemini mater, quod filii necem flevisset,* ubi vim dicto addes, transposito adverbio: *quod Fuvii Gemini, mater filii, necem flevisset.* Sed illo *suspiriis subscriptis* dici nihil acerbius poterat. *Subscribere* et *subnotare* inquisitioni proprium. Attigit Ruhnken. ad Sueton. August. p. 143. Wexius: „Consulto Tacitus propter ambiguitatem videtur hac potissimum voce usus esse. Nam quum in rebus forensibus accusatores *subscribere in aliquem* dicantur, et *subscriptores* nominentur, inesse potest simul ea sententia: suspiria illa adhibita esse tamquam indices et accusatores sive *subscriptores.*" Affectatum profecto acumen. Sed plura sunt in fine huius li-

scriberentur, quum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat. Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis. Ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fa-

belli affectata. Inusitata Domitiani crudelitas Tacitum saepe Tacito surripuisse videtur. Quae mox sequuntur de *palloribus* et *rubore*, eiusdem generis sunt.

Denotandis tot hominum palloribus. Diceres Domitianum non sine misericordia et pudore potuisse adspicere pallores tot hominum. Sed saevus ille vultus non tantum sufficiebat adspiciendo, sed etiam denotando. Rubor autem satis eum munierat ab indicio pudoris, si quem sentiret. Simillima est *denotandi* significatio in epistola Tiberii ad Senatum, Annal. III. 53. *Ceteris forsitan in rebus, P. C. magis expediat me coram interrogari et dicere, quid e republica censeam: in hac relatione, subtrahi oculos meos melius fuit, ne, denotantibus vobis ora ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos ac velut deprehenderem.* Unum, quo hic offendor, est *tot hominum.* Parum significat. Wexius, quia nulla vis, nullum acumen inest, uncis inclusit. Acumen non desidero, vim magis. Fortasse excidit ob similitudinem literarum *tot nobilium hominum.* Wexius legit: *cum denotandis* [tot hominum] *pallore oribus,* i. e. non horror modo et miseratio pallore infecit; sufficiebat vel adspectus rubicundi vultus Domitiani, ut pallesceremus.

Saevus ille vultus et rubor. Acerbius quam *vultus rubor.* Domitianus ruborem a natura acceperat. Sed quia erat animi saevissimi, rubor habebatur indicium saevitiae, quasi ex ira continua ortus. Ovidius Met. VIII. 466. *Saepe suum fervens oculis dabat ira ruborem.* Lucanus V. 214. *Stat nunquam facies; rubor igneus inficit ora.* Rubor et ex pudore oritur, ut apud poëtam: *Pulchra verecundo suffundens ora rubore.* Sidon. Apollin. Epist. I. 2. *Iuvenili rubore suffunditur. Namque hunc illi crebro colorem non ira, sed verecundia facit.* Ianus noster Broukhusius cogitabat verba Taciti, quum in carmine scribebat: *Mens temulenta istum sibi nutrit in ore ruborem, Ne queat hic unquam nidificare pudor.*

Tu vero felix, Agricola. Imitatur Ciceronem de Orat. III. 3. *Ego vero te, Crasse, quum vitae flore tum mortis opportunitate divino consilio et ortum et exstinctum arbitror.* Unde et Ambrosius Operum T. II. p. 1122. *Ego vero te, frater, cum vitae tuae flore, tum mortis commoditate beatum arbitror.*

Ut perhibent, qui interfuerunt. Si Tacitus haec et quae sequuntur usque ad finem huius capitis scripsit, excuset, qui aequum censeat, quasi in prima doloris recordatione sic exciderint. Ipse, credo, animo sedatiore relegens, potius sustulisset. Omnis oratio magis refert poetam, quam prosae scriptorem. Et multa in singulis iure reprehendi posse videntur. Mihi quidem valde displicent ista: *Ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis.* Verba *Tu vero felix* sq. efficiunt perorationem totius sententiae, quam cap. 44. incepit: *et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum*

tum excepisti, tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiaeque eius, praeter acerbitatem parentis erepti, auget maestitiam, quod assidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu complexuque non contigit. Excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus

peregit — beatus futura effugisse. Eadem nunc, verbis mutatis, brevissime repetit. Sed ea claritas non est caussa, cur libens fatum exceperit, multo minus *opportunitas mortis est* caussa, quia Agricola non poterat scire an *futura* tempora essent peiora praesentibus, imo cum amicis sperabat et ominabatur meliora. *Tu vero felix, Agricola, non tantum vitae claritate, sed etiam opportunitate mortis. Et, ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti.* Felicem te praedicamus, Agricola, quia non modo sat diu gloriae vixisti, sed etiam ante saeva illa tempora mortuus es. Hic Tacitus novam sententiam orditur: „Et tu quidem libens mortuus es, nobis flebilis." Oberlinus laudat Bipontinos, qui omnia ista *opportunitate mortis, ut perhibent* coniunxerint. Cur autem, ut perhibent *qui interfuere?* Ipsa uxor Agricolae non modo interfuit, sed omnibus rebus praefuit. Ea vivebat, quum Tacitus hunc librum scribebat. Ex ea scire poterat et novissimos sermones.

Tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. Melius: *et tamquam.* Duplex ratio, quod constans et libens fatum excepit: una, ut ex praeceptis philosophiae moreretur, altera, ut Domitianum suspicione dati veneni liberare videretur. Nam si Agricolae vel unum verbum Domitiano ingratum excidisset, uxori, filiae, genero, amicis non parvo stetisset. Ergo et Caesarem fecit coheredem. Duae caussae per *et* sunt separandae. *Pro virili portione, pro virili parte*, ut saepe Latinitatis periti monuerunt, significat *quantum officii mei ratio postulat, quantum debeam, quantum iure exspectari possit, ut praestem.* Hic autem significare debet *pro viribus, quantum possim.* Hoc est contra Latinitatem; quod secundum Latinitatem est, est contra sententiam. Sic enim Agricola credidisset Domitianum fuisse innocentem.

Filiaeque eius. In utroque Vaticano *eius.* Rhenanus omisit pronomen. Tacitus quoque omisisset. Centies *is, suus* a glossatoribus insertum. Nihil autem esset hic ambigui, quod Ernestus verebatur. Vel sola vox *parentis* facit ne dubitetur, ut cap. 46 non dubitatur, ubi legimus: *id filiae quoque uxorique praeceperim.*

Assidere valetudini. Proprium rei verbum *assidere.* Quintil. Declam. VI 22. *Non morienti pater assedi, non spiritum excepi.* Ambros. T. II. p. 1123. *Cum gravi quodam urgerer occasu, hoc solum dolebam, quod non ipse assideres lectulo ac votivum mihi cum sancta uxore partitus officium morienti oculos digitis tuis clauderes.* Ut *assidere valetudini*, ita *curis* Propert. IV. II. 41. *Assidet una soror curis, et pallida nutrix*, non *pallida curis.*

Satiari vultu complexuque. Mira locutio pro *adspectu ad satietatem frui.* Et crudelis fere pietas *satiari* complexu *deficientis*, quem simul *fovebant.*

Nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est. In uno Vatic. *nobis* omissum, et legitur *tam nostrae absentiae*, in altero

animo figeremus. Noster hic dolor, nostrum vulnus; nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est.

tam longae absentiae, in margine *tum*. Tacitus scripsisset: *nobis iam longae absentiae conditione ante amissus es: noster hic dolor, nostrum vulnus*. In eo est noster dolor, in eo nostrum vulnus; ipsa mors tua nos minore tristitia affecit, quia eam tibi accidisse felicem putamus, et te iam diu ante, quo te praesentes praesentem non vidimus, quasi amisimus. Nobis non nunc primum, sed iam ante mortuus eras. Talia sunt Eurip. Androm. 453. *ἐμοὶ δὲ θάνατος οὐχ οὕτω βαρὺς Ὡς σοὶ δέδοκται. κεῖνα γάρ μ' ἀπώλεσεν Ὅθ' ἡ τάλαινα πόλις ἀνηλώθη Φρυγῶν.* Ovidius Trist. III. III. 52. *Non tibi nunc primum, lux mea, raptus ero. Cum patriam amisi, tunc me periisse putato. Et prior et gravior mors fuit ista mihi.* Livius XXX. 13. *Peccasse quidem sese atque insanisse fatebatur, sed non tum demum, quum arma adversus populum Romanum cepisset. Tunc se insanisse, quum Carthaginiensem matronam domum acceperit.* Tacit. Histor. V. 25. *Tunc infensos Batavis Deos, cum obsiderentur legiones, interficerentur legati.* Wexius edidit: *nobis tum nostrae absentiae conditione* [ante quadriennium] *amissus est*. Verba uncis inclusa ex interpretamento enata putat. Kritzius: „Proprius Tacito atque uxori dolor eo effectus est, quod Agricola non tum demum orbati sunt *quum mortuus est*, sed quod iam multo prius eum amiserunt." Quare autem Tacitus in ea rerum conditione fuerit, quae peregre detinebat, longumque absentiam postulabat, ignotum. Dura quidem necessitas, qua coactus nec morienti adesse potuit. Abfuit totum quadriennium. Tacitus, credo, aliquid addidisset, unde saltem coniiceretur, cur abfuisset: nomen muneris, regionis vel aliud, quamvis tenue indicium, suffecisset. Amicos quidem non latebat, sed multi aequales iam ignorabant. Quid posteri? His quidem in hoc libro tradebat Agricolam, et satis cavit, ne, qualis ille vir fuisset, non intelligerent. Aequum erat de se scribentem, narrantemque, cur pietati erga socerum satisfacere non contigisset, quod sine gravissima caussa facere non poterat, non incertos relinquere. Iam fac Domitianum ei a. 88. provinciam aliquam dedisse regendam; in ea quadriennium transegit, nec Romam reversus est ante a. 93. Quare non venit, ut morientem socerum extremum salutaret? Lentum fuisse nec dolore commotum nemo dixerit. Praesentiam illius in provincia tam necessariam fuisse, ut aliquamdiu abesse non licuerit, haud vero simile est. Si ultro relinquere non auderet, Domitianum rogasset commeatum. Nihil superest, nisi, ausum non fuisse, quia princeps Agricolam oderat, et aegerrime tulisset, si, quod negari vix poterat, concedere deberet. Atque hoc neque filiae neque socero Agricolae impune abiisset. Suspicacem vero et saevam Domitiani naturam Tacitus irritare nolebat, procul a fortitudine quadam, qua sibi et uxori nocuisset, nec cognatis profuisset. Haec sane probabilis caussa longae absentiae afferri potest. Sed verosimillimum est, Tacitum, occiso Domitiano, in illa temporum felicitate, quum scribere liceret, quae sentiret, paucis saltem verbis explicaturum fuisse duram illam absentiae conditionem, cum praesertim haberet iustam Domitiani accusandi detestandique opportunitatem. Quid autem significat *absentiae conditio*? Pro simplice *absentia* Taci-

Omnia sine dubio, optime parentum, assidente amantissima uxore, superfuere honori tuo; paucioribus tamen lacrimis comploratus es, et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui.

XLVI. Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio et

tus non posuisset. Cogitanda nunc est aliqua *conditio*, qua Domitianus eum in provinciam miserit, ne v. c. ex ea ante quadriennium impletum decederet, neque interea vel unum diem relinqueret. Vel sic tamen dixisset potius *absentiae necessitatem.*

Omnia sine dubio. Uxor, credo, Agricolae, admodum invita haec legeret. Ubi agitur de amantissima coniuge, et qualem cap. 6. laudavit gener, et felicissimum matrimonium laudavit, non modo non locus est dubitando, sed ne formulae quidem isti *sine dubio.* Heldium quoque reprehendisse video: „asseverandi iste modus dubitationis notam aliquam traxit, ac si uxor mariti honori plura largiri debuisset."

Superfuere honori tuo. Scire velim quis fuerit honos habitus morienti ab uxore *assidente*, vel cura *assidentis.* Intelligi non alius potest, quam clausi oculi, corpus compositum, lavatum, unctum, et comploratum. Sed talem honorem omnes uxores suis maritis praestabant. Memorasse debuerat honorem sepulturae, quem a Tacito et in sq. omissum miror.

Comploratus es. Sic in Vaticanis. In margine unius et Puteol. *compositus.* Fortasse utrumque est glossatoris, ut ille scripsisse videatur: *compositus et comploratus es.*

His igitur deletis, reliqua simplici et pulchra oratione connnectuntur: *Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis. Si quis piorum manibus locus* sq.

Si quis piorum manibus locus. Haec non recte separata arbitror a verbis *placide quiescas.* Ubi enim placide quiesceret nisi in loco piis manibus destinato? Praeterea animas esse oportet immortales, si, vinculis corporis solutae, in locum aliquem venire possint, si *usquam* sint. Quod igitur natura prius est, hoc nunc, servato verborum ordine, fit posterius. Transponam: *Si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur animae magnae, si quis piorum manibus locus, placide quiescas.* Si animae sunt immortales, fiunt *manes:* manes piorum, magnae praesertim animae, *certum habent in coelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur*, ut loquitur Scipio apud Ciceronem in Republica. Isti manes *sentiebant* quid in terra fieret, erat illis *αἴσθησις τῶν ἐνθάδε γιγνομένων.* Ergo rogat Agricolam, ut vocaret domum suam a lamentis ad contemplationem virtutum suarum. Exempla, quibus ea veterum, Taciti quoque, opinio confirmatur, multa ubique praecipue in Cicerone exstant. Tacitus autem nobilissimum illud Scipionis Somnium perpetuo ante oculos habuit.

Admiratione te potius quam temporalibus laudibus. In Vaticanis: *admiratione te potius temporalibus laudi-*

muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est. Admiratione te potius quam temporalibus laudibus, et, si natura suppeditet, aemulatione decoremus. Is verus honos, ea coniunctissimi cuiusque pietas. Id filiae quoque uxorique praecepe-

bus. Illud *quam* plerique receperunt ex Cod. Ursini, in quo *admiratione te potius quam aemulatione decoremus.* Pro *admiratione* mallem *imitatione.* Imitemur exemplum, si similitudine effingere non possimus.

Aemulatione decoremus. In uno Vatic. *militum decoramus,* in altero *multum decoramus.* Unde Heinsius *aemulatu*, Grotius *similitudine* coniiciebat. Hoc quoque Isaacus Vossius edit. Lips. adscripserat. Satis apparet totum hunc locum misere esse corruptum: Melior omnino sententia, his ita transpositis et mutatis, enasceretur: *nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces. Admiratione potius, et, si natura suppeditet, similitudine decoramus, quos neque lugeri neque plangi fas est. Is verus honos, ea coniunctissimi cuiusque pietas. Id filiae quoque uxorique* sq. Tacitus Agricolam alloqui desinit in verbis *virtutum tuarum voces*, et orationem ad lectores convertit quasi dicat: „Sic enim est. Magni viri non lacrimis neque fletu decorantur, sed similitudine, si quam plurimi imaginem illorum referre studeant.

Temporalibus laudibus. Exempla, quae pro *temporalibus* afferuntur, duo sunt. Senec. Quaest. Nat. VIII. 23. *Omne, quod caussa temporalis accendit, cito intercidit.* Quintil. Inst. Orat. VII. II. 10. *Adiiciunt quidam peritorum πάθος temporale esse.* Sed illi loquuntur tamquam magistri et docentes. Et *caussa temporalis* et *πάθος temporale* sunt verba artis, formula technica, sicuti apud Ictos concessio *temporalis.* In oratione, qualis hic requiritur, Tacitus, puto, laudes vocasset *non solidas, haud diu mansuras, cito interituras* sim. Wexius: „Cito transituras dicit laudationes funebres, quae Caesarum quoque temporibus in honorem magnorum virorum habebantur." Habebantur: sed in iamiam sepeliendis. Tacitus autem haec scripsit quadriennio post mortem Agricolae.

Si natura suppeditet. Cur natura non suppeditaret *aemulationem?* Aemulantur saepe, qui pennis ceratis nituntur, et ausis excidunt. Maxima difficultas in *similitudine.* Hoc natura paucissimis suppeditat.

Is verus honos. Petrus Corn. f. Hooftius nostras, qui omnia Taciti scripta tricies, ut narratur, lecta, in sermonem Neerlandum convertit, hic legisse videtur *vetus honos.* Prudens an imprudens, ignoro. Antiqui illi librorum Latinorum interpretes, praesertim Amstelodami, saepe viros eruditiores consulebant. In hoc tamen loco Hooftius haerere non poterat. Spiritus ille Agricolae non transfunditur in mutas effigies, sed in veras imagines cognatorum, qui virtutes mortui reddunt. Per hos Agricolae vita redibit.

Id filiae quoque uxorique praeceperim, i. e. filiae uxorique eius. Et haec suadent, ut statuamus, Tacitum desiisse Agricolam alloqui, ubi desiisse putabamus.

Formamque ac figuram. Sic in Vaticanis corruptum *famam* Muretus iam

Omnia sine dubio, optime parentum, assidente amantissima uxore, superfuere honori tuo; paucioribus tamen lacrimis comploratus es, et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui.

XLVI. Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio et

tus non posuisset. Cogitanda nunc est aliqua *conditio*, qua Domitianus eum in provinciam miserit, ne v. c. ex ea ante quadriennium impletum decederet, neque interea vel unum diem relinqueret. Vel sic tamen dixisset potius ab*sentiae necessitatem.*

Omnia sine dubio. Uxor, credo, Agricolae, admodum invita haec legeret. Ubi agitur de amantissima coniuge, et qualem cap. 6. laudavit gener, et felicissimum matrimonium laudavit, non modo non locus est dubitando, sed ne formulae quidem isti *sine dubio.* Heldium quoque reprehendisse video: „asseverandi iste modus dubitationis notam aliquam traxit, ac si uxor mariti honori plura largiri debuisset."

Superfuere honori tuo. Scire velim quis fuerit honos habitus morienti ab uxore *assidente*, vel cura *assidentis.* Intelligi non alius potest, quam clausi oculi, corpus compositum, lavatum, unctum, et comploratum. Sed talem honorem omnes uxores suis maritis praestabant. Memorasse debuerat honorem sepulturae, quem a Tacito et in sq. omissum miror.

Comploratus es. Sic in Vaticanis. In margine unius et Puteol. *compositus.* Fortasse utrumque est glossatoris, ut ille scripsisse videatur: *compositus et comploratus es.*

His igitur deletis, reliqua simplici et pulchra oratione connnectuntur: *Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis. Si quis piorum manibus locus* sq.

Si quis piorum manibus locus. Haec non recte separata arbitror a verbis *placide quiescas.* Ubi enim placide quiesceret nisi in loco piis manibus destinato? Praeterea animas esse oportet immortales, si, vinculis corporis solutae, in locum aliquem venire possint, si *usquam* sint. Quod igitur natura prius est, hoc nunc, servato verborum ordine, fit posterius. Transponam: *Si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur animae magnae, si quis piorum manibus locus, placide quiescas.* Si animae sunt immortales, fiunt *manes:* manes piorum, magnae praesertim animae, *certum habent in coelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur*, ut loquitur Scipio apud Ciceronem in Republica. Isti manes *sentiebant* quid in terra fieret, erat illis *αἴσθησις τῶν ἐνθάδε γιγνομένων.* Ergo rogat Agricolam, ut vocaret domum suam a lamentis ad contemplationem virtutum suarum. Exempla, quibus ea veterum, Taciti quoque, opinio confirmatur, multa ubique praecipue in Cicerone exstant. Tacitus autem nobilissimum illud Scipionis Somnium perpetuo ante oculos habuit.

Admiratione te potius quam temporalibus laudibus. In Vaticanis: *admiratione te potius temporalibus laudi-*

dente
us tamen
desideravere
us, si, ut sa
magnae anim
ab infirmo desi

ritate, sed etiam
Si quis piorum

quis piorum manibus
recte separata arbitror
ide quiescas. Ubi enim
sceret nisi in loco piis
tinato? Praeterea animae
immortales, si, vinculis
utae, in locum aliquem
nt, si usquam sint. Quod
ra prius est, hoc nunc,
orum ordine, fit posterius.
nam: Si, ut sapientibus
um corpore exstinguuntur
nae, si quis piorum
placide quiescas. Si animae
mortales, fiunt manes: manes
magnae praesertim animae,
ent in coelo definitum locum,
erno sempiterno fruantur, ut
ipio apud Ciceronem in
manes sentiebant quid in
erat illis αἴσθησις τῶν
νομένων. Ergo rogat Agricola
aret domum suam a lamentis
templationem virtutum suarum
la, quibus ea veterum,
opinio confirmatur, multa
ipue in Cicerone exstant.
utem nobilissimum illud
mnium perpetuo ante oculos

iratione te potius quam
laudibus. In Vaticanis;
te potius temporalibus

muliebribus lamentis ad contemplationem
voces, quas neque lugeri neque plangi fas est.
te potius quam temporalibus laudibus
ditet, aemulatione decoremus. Is verus honos,
ctissimi cuiusque pietas. Id filiae quoque

Illud quam plerique receperunt ex
Cod. Ursini, in quo admiratione te
potius quam aemulatione decoremus.
Pro admiratione mallem imitatione.
Imitemur exemplum, si similitudine
effingere non possimus.
Aemulatione decoremus. In uno Va-
in altero mil-
Unde Heinsius aemu-
similitudine coniiciebat.
Hic quoque Isaacus Vossius edit. Lips.
Satis apparet totum hunc
corruptum: Melior
his ita transpositis
nosque, do-
desiderio et mu-
ad contemplationem
Admiratione
suppeditet, simi-
neque lugeri
Is verus honos,
fas est. Id
pietas.
Tacitus Agri-

minum, in aeternitate temporum fama rerum. Nam mul-

tes privatas coniungebat. Multi veterum non coniunxere, itaque tantum gloria militari censentur. Admiratio solius gloriae diuturnitate temporum sensim minuitur et fere evanescit. Amor, quo posteritas veras virtutes prosequitur, manet, et per istum amorem, manet gloria rerum gestarum. Agricola erat *vir bonus* et *magnus*. *Bonum* vel ex adspectu agnosceres, *magnum libenter* crederes. Discrimen inter gloriam rebus in bello gestis et laudem privatis virtutibus partam apparet in Orat. Cic. pro Marcello 2, 3. unde excerpta apponam: *Itaque C. Caesar, bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris, sed paene omnium gentium literis atque linguis — at vero quum aliquid clementer, mansuete, iuste moderate, sapienter factum aut audimus aut legimus, quo studio incendimur, ut eos saepe, quos nunquam vidimus, diligamus.* Exemplum, quanto magis perpetua sit memoria privatae virtutis, est in Vita Phocionis, apud Nepotem 1. *Phocion etsi saepe exercitibus praefuit, summosque magistratus cepit, tamen multo eius notior integritas vitae, quam rei militaris labor. Itaque huius memoria est nulla, illius autem magna fama. Ex quo cognomine bonus est appellatus.* Nepos vult: Phocion sua aetate et diu post propter munera domi et militiae gesta minime erat inglorius neque ignobilis. Tandem oblivio eum obruisset, nisi integritas vitae et cognomen *boni* memoriam illius conservasset.

Atque ita feliciter absolvi, quae ad hunc libellum annotanda arbitrabar. Maxima me difficultas impediebat ut in exordio, ita in epilogo. Quod Ruhnkenius ad Velleium Paterc. II. 130 scripsit: „habet unicus ille Velleii Codex hanc cum aliis Mss. communem calamitatem ut in initio et fine foedioribus quam in medio corruptelis et lacunis laboret." hoc de Agricola Taciti idem propemodum valere iudico. Quare in explicandis illis partibus maiorem sumsi libertatem, quam in ipsa vitae narratione. Sed, quo facilius institui possit comparatio vulgatae hic scripturae cum ea, quam ego potius esse Taciti coniicio, hanc apponam:

Natus erat Agricola Gaio Caesare tertium consule Idibus Iuniis; excessit quarto et quinquagesimo anno, decimo Kalendas Septembres, Collega Priscoque consulibus. Quod si habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit; nihil imperatorii in vultu; gratia oris supererat. Bonum virum facile crederes, magnum libenter. Opibus nimiis non gaudebat, quippe et speciosae contigerant, et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat. Ipse quidem, quamquam medio in spatio, integra aetate, ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit. Et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito, quid aliud fortuna adstruere poterat? Filia atque uxore superstitibus,

tos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet;

incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis, potest videri etiam beatus futura effugisse. Nam sicuti durasse in hanc beatissimi seculi lucem, ac principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabamur, grande solatium tulit; ita magnae cuiusdam felicitatis est festinata morte evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta, sed continuo et velut uno hiatu rempublicam exhausit.

Non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum, et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas. Una adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat, et Massa Baebius etiam tum reus erat. Mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus, nos Maurici exsilium Rusticumque caedi vidimus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos suos, iussitque scelera, non spectavit; praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et adspici, quum suspiria nostra subscriberentur, quum denotandis tot nobilium hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat.

Tu vero felix, Agricola, non tantum vitae claritate, sed etiam opportunitate mortis. Si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnae animae, si quis piorum manibus locus, placide quiescas, nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces. Admiratione potius, et, si natura suppeditet, similitudine decoremus, quos neque lugeri neque plangi fas est. Is verus honos, ea coniunctissimi cuiusque pietas. Id filiae quoque uxorique praeceperim, sic patris sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque eius secum revolvant, formamque ac figuram animi magis quam corporis contemplentur; non quia intercedendum putem imaginibus, quae marmore aut aere finguntur; sed ut vultus

Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.

hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis aeterna, quam exprimere et tenere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. Quidquid amavimus, quidquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum. Nam multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: Agricola posteritati narratus et traditus fama rerum superstes erit.

Iam pro se quisque iudicet, uter epilogus huius libelli, qui vulgo legitur, an quem ego concinnavi, Tacito dignior sit. Si iudicent Tacito esse digniorem, Tacitum isto potius modo scripsisse fatebuntur.

ADDENDA.

Pag. 3. *Vicit vitium.* Sonus tamen videbitur minus ingratus, si cogitatur diversa quantitas in primis syllabis verborum *vicit* et *vitium.* Neque offendit Livium XLV. 37. *vitia vitae.* Horatius vero Satir. I. II. 24. separavit: *Dum vitant stulti vitia.*

P. 10. *Inviti meminimus* sq. Ovid. Metam. XII. 542. *Quid me meminisse malorum Cogis, et obductos annis rescindere luctus?* XIII. 280. *Me miserum quanto cogor meminisse dolore Temporis illius.* Sed *oblivisci* non est in nostra potestate, ut Tacitus mox dicit. Quare Themistocles pollicenti cuidam se artem ei memoriae traditurum, respondisse dicitur, oblivisci se malle discere. Narrat Cicero Acad. Quaest. IV. 1. addens: *credo, quod haerebant in memoria quaecunque audierat vel viderat.* Fortasse et, quae fecerat adolescens.

P. 10. *Meminimus de interiecto brevi spatio* sq. Liv. XLV. 39. *Quos Syphax rex captus, accessio Punici belli, concursus fecerit, plerique meminimus.* Mitto alia similia.

P. 17. *Uti dixerim, ut ita dixerim, velut*, sim. iungenda cum verbo minus usitato. Liv. XXXIV. 6. *Leges mortales, ita ut dicam, et temporibus ipsis mutabiles.*

P. 34. *Sors quaesturae provinciam dedit. Sors* alioquin et *provinciam* significat, quam quis sine *sorte* proprie dicta, sine urna, nactus est: significat adeo *administrationem, munus, officium.* Cf. Gronov. ad Tacit. Annal. III. 32. Dixi, ut corrigerem, quod est corruptum in Ovid. Metam. XIII. 87. ubi Aiax: *Hunc ego, poscentem, cum quo concurreret, unus Sustinui; sortemque meam vovistis, Achivi, Et vestrae valuere preces.* Legendum scilicet: *Hunc ego, poscentem, cum quo concurreret unus, Sustinui, sortemque meam voluistis Achivi, Et vestrae valuere preces.* Agitur de certamine singulari, ad quod Hector apud Homerum Iliad. VII. 54 sq. aliquem Achivorum provocavit: *unus concurreret*, ut Homerus: *ἤν τινά που Δαναῶν προκαλέσσεται οἰόθεν οἴῳ*

'Αντίβιον μαχέσασθαι, ut nuper emendandum putavit L. Doederlinus pro *οἰόθεν οἶος*. Novem Achivi se offerunt certamini. Sortiuntur. Achivi *voluerunt* optarunt, sortem evenire vel Aiaci, vel Diomedi, vel Agamemnoni: sed Aiaci ante omnes. Munus certandi obtigit Aiaci, Hectorem, dicit Aiax, *sustinui*, non timui sortiri, nec, sortem nactus, certare. Eventus certaminis mox memoratur: varietas in Mss. est, *sortemque meam vovistis*, *novistis*, *movistis*, *volvistis*, unde facilis correctura *voluistis*. Heinsius legebat *fovistis*.

P. 34. *Provincia parata peccantibus*. Hirtius de B. Alexandrino 50. quum Longinus imperator faceret eadem, quae fecerat quaestor: *Horum odium confirmabant nonnulli familiares eius*, *qui*, *quum in illa societate versarentur rapinarum*, *nihilo minus oderant eum*, *cuius nomine peccabant*.

P. 48. *Et vincere inglorium et atteri sordidum*. Ovid. Metam. V. 315. *Turpe quidem contendere erat, sed cedere visum Turpius*. IX. 5. *Nec tam Turpe fuit vinci*, *quam contendisse decorum est*. Iam in congressu et contentione alter altero *atteritur*, *teritur*. Ennius apud auctorem B. Hispaniensis 31. *Pes pede premitur*, *armis teruntur arma*.

P. 49. *Haud semper errat fama* sq. C. P. Hooftius in Epistola ad H. Grotium a. 1635. *Haud semper errat fama*, *aliquando et eligit*. *Utque tandem liqueret eam verum dicere*, *ipse inter alios tui amantissimos vovere non destiti*.

P. 50. *Consul egregiae tum spei filiam* sq. Videtur illud *tum* ita poni inter adiectivum et substantivum, ut tamen ad sequens verbum sit referendum. Liv. XXXIV. 62. *Hanc tum regionem — effecit*. XXXVI. 16. *Haudquaquam pari tum animo intra portus loci eius castris positis*, *munitionibus insuper saltum impediebat*.

P. 51. *Genitivi pronominum* eius, illius, *centies a librariis adduntur*. In oratione prosa facilis est emendatio. Pronomen eiicitur, ut v. c. in Agric. cap. 45. *Sed mihi filiaeque* eius *praeter acerbitatem parentis erepti auget moestitiam*, *quod* sq. Ibi non alia esse potest *filia* quam filia Agricolae, qui erat parens uxoris Taciti, et quem Tacitus alloquitur nominans, *optimum parentum*. Mss. Vatic. habebant *eius*, ex margine vel glossa superlineari assumptum: iam Rhenanus recte omisit. Difficilior est emendatio in carmine. Quam rationem in eo sequendam arbitrer, ostendam. Tibullus I. vi. 25. *Saepe*, *velut gemmas eius signumve probarem*, *Per caussam memini me tetigisse manum*. Ibi, credo, Tibullus scripserat: *Saepe*, *velut gemmas tacitus signumve probarem*. Heynius: „*Eius* observandum, quod, ut nimis tenue et exile, in elegiis ferebat Bentl. ad Horat. III. xi. 18. in Oda vero reiiciebat. Laudavit quidem plura loca Burm. ad Ovid. Metam. VIII. 16. quibus adiice Grat. Cyneg. 224. Nec tamen efficere potuit, quominus etiam h. l. ieiunam faciat orationem τὸ *eius*, quod facile evitare poterat poëta, v. c. *gemmam digiti signumve*." Vir

praestantissimus annotationem Bentleii non accurate retulit. In Ovid. Trist. III. IV. 27. *Non foret Eumedes orbus, si filius eius Stultus Achilleos non adamasset equos*, Bentleius, sublato *eius*, sententiae nihil deesse ait, posito autem, versum degenerare in orationem prosam. Ovidium scripsisse coniicio: *Nec foret Eumedes orbus, si filius, ausis Stultus, Achilleos non adamasset equos*. Dolon, filius Eumedis, erat stulte audax, poscere ausus equos, et ipsos donum votis humanis maius, et qui non alia manu quam Achillis se regi patiebantur. Hoc Diomedes Doloni exprobrat apud Homer. Iliad. K. 401 sq. et. Virg. Aen. XII. 349. *Qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret, Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus*. Alia exempla sunt in Ovidio, ut Metam. VIII. 14. sq. *In quibus* (muris) *auratam proles Latoia fertur Deposuisse lyram: saxo sonus eius inhaesit. Saepe illuc solita est adscendere filia Nisi; Et petere exiguo resonantia saxa lapillo*. Fortasse Ovidii est: *saxo sonus intus inhaesit*. Igitur percussit saxa murorum lapillis, ut sonum, qui intus inhaerebat, eliceret. Ita sonus, intus inhaerens, citharae pulsatis chordis elicitur. Iam si in Tibullo legeretur *gemmas eius tacitus*, in Ovidio *filius eius ausis*, *sonus eius intus*, imperitus alter librarius, metro consulturus, eiiciebat potius *tacitus*, *ausis*, *intus*, quam *eius*. De annotatione Burmanni ad l. l. Ovidii Metam. VIII. nihil dicam. Burmannus Secundus bis eam laudavit, semel ad Lotichii Poëm. p. 577, iterum ad Propert. IV. 35 et IV. VI. 67. Inspicientibus patebit neutrum Burmannum quidquam *contra Bentleium ostendisse*. Ostenderunt tantum nonnulla poëtarum loca, in quibus illud pronomen *eius* invenitur, ut v. c. Propert. IV. VI. 67. *Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius Una decem vicit missa sagitta rates*. Si distichon esset Propertii, scripsisset, credo: *quod arcu Una decem vicit missa sagitta rates*. Sed glossa poëtica mihi videtur, facta ex prosaica: *hinc Apollo Actius nomen et templum in Palatio accepit*. Caussas, cur versus spurios arbitrer, has habui. Versus lege a vs. 10. *Musa Palatini referamus Apollinis aedem* ad 65. *Di melius! quantus mulier foret una triumphus, Ductus erat per quas ante Iugurtha vias*. Sunt vere sublimes. Recte finiuntur vs. 96. *Bella satis cecini*. Interpone *hinc actius Phoebus traxit monumenta*, senties quam fatuum sit additamentum. Et nomina Deorum varia quidem sunt ac saepe promiscue usitantur, ut *Apollo* et *Phoebus*. Dubito autem an *Apollo Actius*, cui Augustus templum condidit, hic recte appelletur *Phoebus Actius*. Denique Propertius vs. 55 dixerat Apollinem *pharetrae pondus consumpsisse in arcus*, igitur omnibus sagittis, quae erant in pharetra, usum esse contra Antonium et Cleopatram: quomodo nunc idem Apollo dici potest *una missa sagitta* decem rates vicisse? Burmannus quidem hoc explicare frustra conatur. Alia ratio in Propert. IV. II. 35. *Est etiam aurigae species Vertumnus, et eius, Traiicit alterno qui leve pondus equo*. Nam neque *eius* abesse potest sine detrimento sensus, et ista Elegia pertinet ad genus carminum, quod appellatur didacticum, ut sunt Fasti Ovidiani, ut Lucretii, Manilii, similia opera, Sermones et Epistolae Horatii, alia. Burmanni afferunt quoque Ovidii Epist. ex Ponto IV. XV. 6. *A meritis eius pars mihi nulla vacat*. Ubi tamen in sex Mss. erat *huius*. Neque ego exemplis, quae ex Epistolis istis et Tristibus petuntur, multum tribuerim. Ovidius iam fere dedi-

cerat Latine loqui, ut ipse ait. In quo dicto aliquid veri est. Hic certe scripsisset *Sexti*. Audi: *Caesaribus vitam, Sexto debere salutem Me sciat; a superis hic mihi primus erit. Tempora nam miserae complectar ut omnia vitae, A meritis eius pars mihi nulla vacat.* Ut nihil dicam de inepto lusu in vocibus *primus* et *sextus*, quales multi carmina ista dedecorant, nemo non sentit, quanto melius esset *a meritis Sexti.* Vel ipsa exemplorum raritas ostendit, quantopere poëtae conati sint abstinere usu pronominis *eius*.

P. 56. *Sed mare pigrum et grave remigantibus.* Dubito an hoc idem mare sit, atque illud, quod Tacitus in Germania 45. describit: *Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod* sq. Thyle habebatur ultima mundi finis: natura erat usque ad Thylen, post Thylen nihil, nisi mare, de quo Plinius in Hist. Nat. IV. 13. *Septentrionalis Oceanus, Amalchium eum appellat Hecataeus, a Paropamiso amne, qua Scythiam alluit, quod nomen eius gentis lingua significat* congelatum. *Philemon* morimarusam *a Cimbris vocari, hoc est* mortuum mare, *usque ad promontorium Rubeas: ultra deinde Cronium.* Quem locum recte mihi emendasse videtur Forsterus in Observationibus Geographicis cet. „*Ultra Thylen deinde Cronium, quod nomen eius gentis lingua significat* congelatum. Hibernica lingua *muir croinn* significat mare *congelatum*, Wallica *mormarw*, quod pronuntiant *mormarie* significat *mare mortuum.*" Haec Forsterus et loca veterum, Orphei, Dionysii Periegetae, Strabonis, Taciti in Germania affert, hoc exemplo in Agricola non utitur. Sensit, credo, illud non pertinere ad *mare Cronium.* Nec pertinet. Nam praefectus classi Romanae dispexerat Thylen, non pervenit ad ipsam Thylen. Et mare Cronium erat ultra, trans Thylen. Igitur Tacitus tantum dicit mare cis Thylen fuisse *pigrum et grave remigantibus*, nec vento quidem attolli, cuius rei caussas explicat. In German. 45 legitur: *Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremum cadentis iam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut sidera hebetet: sonum insuper audiri, formasque Deorum et radios capitis adspici, persuasio adiicit. Huc usque, et fama vera, tantum natura.* Comparantibus utrumque locum in Agricola et Germania apparebit maria non esse eadem. Fortasse et in *Germania* legendum: *Trans Suionas illud mare, quo cingi cludique sq.* Verba *pigrum ac prope immotum* glossatorem ex Agricola adiecisse puto. Natura maris Cronii vel ex nominibus apud Plinium satis erat cognita, et cognoscitur ex narratione, quam Tacitus subiungit. Si quid praemittere voluisset, scripsisset potius: *aliud mare, innavigabile, congelatum ac mortuum:* ut distingueret a mari, in quo Romani navigantes, prope ad Thylen accesserant. Graeci vocant *πέλαγος πεπηγὸς, κρόνιον, νεκρόν.* Neque hoc omisit Forsterus. Omisit pulcherrimum Plutarchi locum, Vitam Thesei sic ordientis: "*Ὥσπερ ἐν ταῖς γεωγραφίαις οἱ ἱστορικοὶ τὰ διαφεύγοντα τὴν γνῶσιν αὐτῶν τοῖς ἐσχάτοις μέρεσι τῶν πινάκων πιεζοῦντες, αἰτίας παραγράφουσιν, ὅτι· „Τὰ δ' ἐπέκεινα θῖνες ἄνυδροι καὶ θηριώδεις, ἢ πηλὸς ἀϊδνής, ἢ Σκυθικὸν κρύος, ἢ πέλαγος πεπηγός.*" et Varronis de R. R. I. 22. *Sunt regiones inter circulum*

septentrionalem et inter cardinem coeli, ubi sol etiam sex mensibus continuis non videtur. Itaque in Oceano, in ea parte, ne navigari quidem posse dicunt propter mare congelatum. Bina exempla addidit vir doctus, qui totam Forsteri annotationem ad illustrandum Plutarchum retulit in iudicio suo de versione Neerlandica Vitarum Plutarchi, cuius auctores deinde cognovimus fuisse Cl. Ev. Wassenberghium et Herm. Besscham. Illud iudicium, eleganter, modeste, erudite expositum, invenias in libro Neerlandico: *Bijdragen ter bevordering der schoone Kunsten en Wetenschappen uitgegeven door Mr. Rhynvis Feith en Jacobus Kantelaar.* Amst. 1793. D. I. p. 91. Auctor iudicii istius diu fuit ignotus. Tandem coniecerunt fuisse P. L. Struchtmeyerum, rectorem Gymnasii Groningani. Et fuisse mihi ex multis documentis constitit. Quare non mirum mihi accidit, istam commentationem ab omnibus rerum peritis valde laudari. Et erat Struchtmeyerus, ut testantur scripta edita, et inedita, quae, a Meinardo Tydemanno empta, vidi, erat, inquam, vir ille prudentissimus, modestia et insigni doctrina excellens, cuius memoriae hoc debeo, ut gratissima mente profitear, me puerum, in Gymnasio Groningano initio huius seculi institutum, tantum illi referre acceptum, quantum discipulus optimo praeceptori referre possit.

P. 65. *Munera impigre obeunt.* Vir eruditus Nipperdeyus in libro Germanico Rheinisch Museum Th. 19. dedit observationes in Agricolam Taciti. Eas mecum communicavit Cl. Bootius. Nipperdeyus hic pro *obeunt* legebat *subeunt.*

P. 66. *Igitur primus omnium.* Conieceram *legitur.* In Livio XLV. *igitur* corruptum coniicio in *dicitur.* Livius: *Q. Licinio consuli, ad quadrigas mittendas escendenti, tabularius, qui se ex Macedonia venire diceret * laureatas literas dicitur. Quadrigis missis consul currum conscendit: et quum per circum reveheretur ad foros publicos, laureatas tabellas populo ostendit.* Vocem a librariis omissam, alii aliter supplent, ut *reddidisse*: Gronovius pro *dicitur* coniiciebat *tradidit.* Lego: *tabularius, qui se ex Macedonia venire diceret, tradidit laureatas literas. Igitur quadrigis missis consul* sq.

P. 67. *Velox ingenio mobili poenitentia.* Huc pertinet Livius XXXI. 32. *Rem magni discriminis consiliis nullam esse tam inimicam, quam celeritatem, dixit. Celerem enim poenitentiam, sed eandem seram atque inutilem sequi.*

P. 70. *Mortuus non* habet *filium,* sed *habuit.* Idem *habuit* filios superstites.

P. 71. *E quibus legatus.* Ernestus verum putabat *legatum — saevire.* Livius imprimis hanc loquendi formam amat: vide v. c. V. 24. XXI. 12. Et XXXIV. 61, dempta literula, restituendum iudico: *Aristonem quendam Tyrium advenam, instructum mandatis ab Annibale et ab Antiocho rege, venisse: certos homines*

quotidie cum eo secreta colloquia serere, et in occulto colloqui; quod mox in omnium perniciem erupturum esse. Nunc legitur *esset.*

P. 73. *Quantulum enim transisse militum.* Ita in Vatic. Editiones vulgo *quantum.* Hoc aeque minuit ac *quantulum.* Hinc emendo Ovid. Metam. VI. 197. ubi Niobe gloriatur quatuordecim liberis suis: *Excessere metum mea iam bona: fingite demi Huic aliquid populo natorum posse meorum; Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum. Latonae turba quo quantum distat ab orba?* In Mss. locus est turbatus. Lego: *Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum, Latonae turbam; quo quantum distat ab orba.* Non redigar ad numerum duorum, qui numerus est tota turba Latonae, quo numero quam parum distat ab orba muliere.

P. 76. *Tenentibus arma plerisque.* Nipperd. l. l. *etsi tenentibus.* Ianus Pan, emeritus Senator curiae Drenthinae, veterum literarum tam amans quam sciens, notus eximia Dissertatione *De poena ingrati animi* sq. qui cum amico suo C. A. Abbingio, Lit. Doctore et Gymnasii Hornani Rectore, viro eruditissimo, Taciti Agricolam, priorem editionem meam a. 1827 accurate legerat et indicarat, ille hic coniecerat *dedentibus.*

P. 76. *Et proprius.* Nipperd. defendit *proprius* et legit: *proprius ex legato timor agitabat, ne, quamquam egregius cetera, arroganter in deditos, ut suae quisque iniuriae ultor, durius consuleret,* i. e. ut quisque, qui suam iniuriam ulciscitur.

P. 81. *Velut pactis exercitui licentia, duci salute.* Liv. XXXIV. 19. *Saepe munimenta eorum, velut communi pacto commercio, privatis induciis ingredientes.*

P. 82. *Et seditio sine sanguine stetit.* Nipperdeyus: *Et seditionem sine sanguine stitit.*

P. 83. *Magnamque Brigantum partem.* Et Ianus Pan *Brigantum* ex margine in textum irrepsisse coniicit.

P. 85. *Quamquam transvecta aestas.* Ianus Pan *transvecta paene aestas.*

P. 85. *Obruere.* Ovid. Metam. XIII. 446. *Obrutaque est mecum virtutis gratia nostrae.*

P. 87. *Terrorem ceteris fore. Terror* cogitari potest vel *nullus*, vel *parvus*, vel *magnus.* Adde exemplis hoc Caesaris de B. Civ. III. 80. (si liber de Bello Civili sit Caesaris). *Simul reliquis civitatibus huius urbis exemplo inferre terrorem, et id fieri celeriter, priusquam auxilia concurrerant.* Ubi melius legeretur *inferri.*

P. 88. *Ut in dubiis consiliis.* Adde Liv. XXXII. 9. T. Quintius habebat consilium militare, in quo placuit: *ipso illo tam iniquo loco hostem aggredi. Sed magis id fieri placebat, quam quomodo fieret, satis expediebat.*

P. 89. *Notis—vadis.* Ovid. Metam. IX. 108. dicitur Nessus *scitus vadorum* in flumine Eveno, ubi erat portitor.

P. 90. *A se suisque orsus.* Liv. XXXIV. 18. *In consule ea vis animi atque ingenii fuit, ut omnia maxima minimaque per se adiret atque ageret: nec cogitaret modo imperaretque quae in rem essent, sed pleraque per se transigeret, nec in quemquam omnium gravius severiusque, quam in semet ipsum imperium exerceret.*

P. 91. *Sed optimum quemque.* Ianus Pan *sed* eiiciebat.

P. 92. *Non omnia exsequi.* Petrus Cunaeus in Orationibus suis saepe liberius Tacitum imitatur. Ita in Orat. XXII. *Omnia omnium facta resciscunt, non omnia resequuntur. Parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodant* sq. Fortasse errore memoriae scripsit *resequi.* Nam *resequi peccata* intellectu difficile.

P. 92. *Quam damnare, quum peccassent.* Liv. XXXIV. 27. *Prohiberi potius ne quid moliri possent, quam puniri molientes.* Cf. Ruhnken. ad Vell. Paterc. II. 121. *Cum dissensiones coërcitione magis quam poena mollisset.*

P. 93. *Et emere ultro.* Ianus Pan volebat *emere magno.*

P. 96. *Loca castris ipse capere.* Adde exemplis laudatis Liv. XXXV. 28. de Philopoemene: *Erat autem Philopoemen praecipuae in ducendo agmine locisque capiendis sollertiae atque usus: nec belli tantum temporibus, sed etiam in pace, ad id maxime animum exercuerat. Ubi iter quopiam faceret, et ad difficilem transitu saltum venisset, contemplatus ab omni parte loci naturam, quum solus erat, secum ipse agitabat animo sq.* Similitudo huius loci et Tacitini apparet.

P. 96. *Popularetur.* Fortasse *popularentur.* Et sic coniecerat Ianus Pan.

P. 99. *Delenimenta vitiorum.* Porticus, balnea, elegantia conviviorum, ipsa per se non sunt vitia, sed, si quis non abutitur, pars humanitatis. Fieri autem possunt, et saepe fiunt, praesertim apud barbaros, *delenimenta* vitiorum, ut apud Ovidium *opes* dicuntur *irritamenta malorum.* In porticibus reprehenditur insanum aedificandi studium, in *balneis* et *conviviorum elegantia* reprehenditur vita effeminata et intemperans. Haec ducunt, invitant, pelliciunt ad vitia, in his sunt *elementa vitiorum*, quod legitur apud Iuvenal. Satir. XIV.

123. prima adeo elementa, quibus barbari imbuuntur, ut imbuuntur Romani, eoque tandem deveniunt, ut aliena appetant, sua profundant.

P. 99. *Apud imperitos.* De usu vocis *imperiti* bene exposuit Oudendorp. ad Caesar. de B. Civ. I. 85. Sunt, ait, simplices, *εὐαπάτητοι*, imprudentes, nec satis muniti ad illecebras.

P. 100. *Pars servitutis.* Qui alios sine prudentia imitantur, fiunt eorum servi. In literis Horatius vocat *imitatores servum pecus.*

P. 102. *Avidus intercepit.* Adde Liv. XXXIII. 11. *Arrogantiam eorum, victoriae gloriam in se rapientium.*

P. 102. *Ut erat comis bonis.* Voces *ut*, *et* saepissime confunduntur. Liv. XXXIV. 2. *Date fraenos impotenti naturae et indomito animali, et sperate ipsas* (mulieres) *modum licentiae facturas, nisi vos faciatis.* Lego: *date fraenos impotenti naturae, ut indomito animali, et sperate* sq. Ita in cap. 4. *Luxuria non mota tolerabilior esset, quam erit nunc, ipsis vinculis, sicut fera bestia, irritata, deinde emissa.*

P. 104. *Nave prima.* Adde Liv. XXXVI. 12. *Tempus anni maturum iam ad navigandum.* Ceterum, ut vulgo dicitur *prima nocte, face, vespera, lumine, luminibus* sim. ita et *prima aestate, primo vere.* Exemplis, quae in contrarium attuli, adde Liv. XXXII. 6. *vere primo.* XXXV. 34. *luce prima.* XXXVI. 18. *luce prima.* XLV. 34. *Rex in hiberna concesserat Pergamum, gravique morbo aeger fuerat. Ver primum ex domo excivit.*

P. 105. *Si quidem Hibernia medio inter Britanniam atque Hispaniam sita.* Facilius erat: *Si quidem Hiberniam inter media Britannia atque Hispaniam sita.*

P. 107. *Amplexus civitates.* Legebam *amplexurus.* Adde Liv. XXXIII. 19. *Proficiscitur, simul tentaturus urbes, simul Philippum adiuturus.* Cf. Gronov. ad Liv. XXXII. 31.

P. 107. *Infesta hostilis exercitus itinera.* Rhenanus: *hostili exercitu*, de qua constructione Heins. ad Ovid. Metam. IV. 619.

P. 108. *Quum simul terra simul mari bellum impelleretur.* Rhenanus correxit. In Vatic. *impellitur.* Unde legi poterat: *impelli videretur.* Bellum revera non impellebatur *mari.* Neque adeo opus erat. Nam Britanni non habebant classem. Et classis Romana sequebatur exercitum *egregia specie.*

P. 109. *Circumiretur.* De verbo *circumiri* Oudendorp. ad Caesar. de B. Civ. III. 94.

P. 110. *Tergis pugnantium iubet.* Velocissimos *primum* assultare iubet, mox clamorem adiici universis. *Primum* saepe cogitari debet ante *dein*, *mox*, sim. Cf. Gronov. ad Liv. XXXIV. 19.

P. 113. *Ad aquam.* Praeter aquam. Cf. Gronov. ad Liv. XXVI. 5. Conieceram quoque: *mox ad aquam atque utilia paranda escendentes, plerumque Britannorum* sq. *Paranda*, ut in l. l. Sallustii *utilia parare.*

P. 114. *Eo ad extremum inopiae venere.* Incideram quoque in coniecturam: *adeo ad extremum inopiae venere.* In *extremo inopiae* sunt et gradus: primus, si deest frumentum; secundus, si pecora; tertius, si canes, feles, sim. quartus, si infirmi homines, quos devorent, desunt: ultimus igitur, si de comedendis firmis inter se sortiuntur. Ea nunc erat miseria. *Adeo* ad extremum, ad *ultimum inopiae* venerant, ut est apud Liv. XXXI. 38. Ut sunt gradus inopiae, ita et subsidia sunt. Caesar de B. Civ. I. 48. *Afranius paene omne frumentum ante Caesaris adventum Ilerdam convexerat; reliqui si quid fuerat, Caesar superioribus diebus consumpserat; pecora, quod secundum poterat esse inopiae subsidium, propter bellum finitimae civitates removerant.* Pro *adeo* dicitur et *usque adeo*, quod significationem intendit. Ovid. Metam. VI. 435. *diemque, Quaque data est claro Pandione nata tyranno, Quaque erat ortus Itys, festam iussere vocari. Usque adeo latet utilitas.* Iusserunt vocari diem festam, quam vocare debuerunt maxime infaustam. Adeo homines in extremo ignorantiae versamur, quid nobis utile sit.

P. 115. *Domestico vulnere ictus, anno ante natum filium amisit, quem casum — muliebriter tulit.* Legendum putaveram: *Initio aestatis Agricola, domestico vulnere ictus (anno ante natum filium amisit) neque, ut plerique fortium virorum, ambitiose, neque per lamenta rursus ac moerorem muliebriter tulit.* In vulgatis est perversus cogitandi ordo, siquidem *vulnere ictus est* filio amisso, non filium amisit, quod vulnere ictus est, vel, quum vulnere ictus esset, filium amisit, ut recte disputat Kritzius, qui edidit: *vulnere ictus. Anno ante* sq. *ictus* sc. *est.* In mea emendatione bene dicitur *ictus — tulit: ferre* centies ponitur omisso substantivo, quod ex sententia cogitari debet. Vulnere ictus non muliebriter tulit, nempe *vulnus*, dolorem accepti vulneris, damni. Terent. Eunuch. I. I. 8. 9. *ultro ad eam venies, indicans Te amare, et ferre non posse.* Ubi Heumannus in Poecile T. II. p. 476. frustra volebat *te amorem ferre non posse.* Eodem modo Graeci *μὴ φέρειν δυνάμενος.* Verba *quem casum* plane supervacua sunt. Quid fuerit *domesticum vulnus*, significatur parenthesi *anno ante natum filium amisit.*

P. 116. *Et ultionem aut servitium exspectantes.* Locus difficilis. Kritzius per Zeugma interpretatur, et e verbo *exspectantes* trahit *quaerentes* vel *parantes* ultionem. Sunt puto glossa. Optime procedunt: *Nam Britanni nihil fracti pugnae prioris eventu, tandemque docti commune periculum concordia propulsandum* sq. Et quomodo timere poterant servitium, cum rex Calgacus

mox dicat, se a Romanis peti *in excidium*, quia nulla esset caussa, cur victi servarentur, et fierent servi? Si verba ista non a glossatore inserta sunt, fortasse emendare possis, legendo: *Nam Britanni, nihil fracti pugnae prioris eventu, nec ultionem aut servitium exspectantes.* Eventus pugnae prioris Britannos docere debuerat, se non pares esse Romanis, et, si ipsi iterum arma sumerent, nihil posse exspectare, nisi ultionem aut servitium, mortem aut servitium. Sed nihil ex arrogantia remiserant (cap. 27.) Irritatis utrimque animis discessum. Aliquid tamen didicerant, sed sero, hoc nempe, commune periculum concordia propulsandum. Iamque victoriam somniabant, tantum aberat ut ultionem aut servitium exspectarent. Quod tamen accidit. Igitur concepta spe victoriae ad irritum cadente, et multis suorum caesis, in servitutum redacti, dum Romani sic ultionem exigebant, fateri cogebantur: hoc non exspectaveramus. Liv. XXII. 19. *Nihil minus quam hostem aut proelium eo die exspectantes.*

P. 117. *Quoties caussas belli et necessitatem nostram intueor.* Conieceram quoque: *Quum has caussas. Has*, i. e. tam iniustas, quas Romani habent belli nobis inferendi, et necessitatem nostram belli talis defendendi.

P. 117. *Eadem etiam ignavis tutissima.* Liv. XXXIV. 14. *Quod pulcherrimum idem tutissimum est, in virtute spem positam habere.*

P. 122. *Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit.* Coniectura mea *redimit* optime confirmari potest exemplo de historia patriae nostrae sumpto. Anno superioris saeculi nonagesimo quinto Franci reipublicae Batavae apportabant libertatem verbo, re servitutem. Non dicebamur quidem esse pars reipublicae Francae, sed eramus. Quominus et diceremur, faciebant immensi sumptus, quos quotidie alendis sociorum istorum exercitibus impendebamus. Ita species saltem libertatis servata, redimebatur servitus, eoque servitus alebatur.

P. 124. *Ita sublata spe veniae tandem sumite animum, tam quibus salus quam quibus gloria carissima est. Animus*, puto, non deerat Britannis, sed superaverat. Animis irritatis ex ultimo proelio excesserant. Omnium civitatum vires excitae. Super triginta millia iam adspiciebantur. Affluebat omnis iuventus et cruda ac viridis senectus. Poscunt proelium. Calgacus concitatam multitudinem etiam oratione accendit. Huius oratio satis monstrat, quantum animi in exercitu ipso inesse arbitraretur. Ergo dicere non potest *sumite tandem animum.* Legam: *eundem sumite animum.* Tam qui pro salute, quam qui pro gloria certandum putatis, unum eundemque sumite animum, consilium, cogitationem, vincendum esse aut moriendum. Virgil. Aen. III. 60. *Omnibus idem animus scelerata excedere terra.*

P. 125. *Exurere coloniam, expugnare castra — exuere iugum potuere.* Kritzius: „Hoc verbum (potuere) insolito Zeugmatis genere ad *exurere* et

expugnare relatum significat *valuerunt*, ad *exuere* est *valuissent*." Vere insolitum Zeugma: cui simile exemplum an alibi reperiatur, valde dubito. Latinum erat, vel: *exurere coloniam*, *expugnare castra potuere*, *ac*, *nisi felicitas in socordiam vertisset*, *exuere iugum potuissent*: vel: *exussere coloniam*, *expugnavere castra — exuere iugum potuere*. Ita *potuere* recte significaret *potuissent*, ut in Virgil. Aen. IV. 419. *Hunc ego si tantum potui sperare dolorem Et perferre*, *soror*, *potui*.

P. 125. *Non impune tentatam laturi*. Ovid. Metam. VIII. 279. *Tangit et ira Deos*, *at non impune feremus*. *Quaeque inhonoratae*, *non et dicemur inultae*.

P. 126. *Qui timere desierint*. Liv. XXXIV. 28. *Qui modo terrori fuerant trepidantes in urbem compulsi sunt*.

P. 126. Centies librarii intruserunt verbum substantivum, vel, diversis modis supplendo explicaverunt. Memorabile exemplum est in Ovid. Metam. VIII. 55. ubi Scylla, Nisi filia, secum loquitur, dum amorem conceptum Minois vincere conatur, quo amore potiri non poterat nisi prodito parente: *Nam pereant potius sperata cubilia*, *quam sim Proditione potens*. *Quamvis saepe utile vinci*; *Victoris placidi fecit clementia multis*. *Iusta facit certe pro nato bella perempto*: *In caussaque valet*, *caussamque tuentibus armis*. *Ut puto*, *vincemur*. Legam: *Quamvis saepe utile vinci*. *Iusta facit certe pro nato bella perempto*. *Utque valet caussa*, *caussamque tuentibus armis*, *Sic*, *puto*, *vincemur*. Versum spurium *Victoris placidi* sq. eieci: pro *in caussaque* in uno Ms. Heinsii erat *atque valet caussa*, tum *ut* mutavi in *sic*. Sententia eadem est in Heroid. XIII. 75. *Irruat et caussa quam vincit*, *vincat et armis*.

P. 127. *Aut nulla plerisque patria aut alia est*. Adde exemplis Caesar. de B. C. *Hae copiae constabant ex Gabinianis militibus*, *qui iam in consuetudinem Alexandrinae vitae ac licentiae venerant*, *et nomen disciplinamque populi Romani dedidicerant*, *uxoresque duxerant*. His Alexandria erat *alia* patria. Diversa ratione apud Liv. XXXIII. 49. Tyrus dicitur *alia patria* Hannibalis, quippe origo Carthaginis.

P. 128. *Tamquam nuper Usipetii reliquerunt*. Si addendum esset verbum, repeti debebat idem: *deserent — deseruerunt*, vel *relinquent — reliquerunt*. Liv. XXXVI. 5. *Ultro ad eum veniebant*, *sicuti Epirotae communi gentis consensu et Elei e Peloponneso venerunt*.

P. 128. *Senum coloniae*. Ianus Pan coniiciebat *incensae coloniae*.

P. 131. *Virtute et auspiciis imperii Romani*, *fide atque opera vestra*. Ianus Pan legebat: *ductu meo et auspiciis imperii Romani*. Nipperdeyus: *virtute nostra*, *auspiciis populi Romani*, *fide atque opera vestra*. Exemplis a me

laudatis pro formula *Deum virtute* adde Liv. XLV. 23. *Quae vestra est fortuna, Deum benignitate et virtute vestra.* Hirt. de B. Alex. 75. *Deorum immortalium benignitate.*

P. 133. *Non fama nec rumore, sed castris et armis.* Liv. XXXIII. 8. *Fama stetisse non viribus Macedoniae regnum.*

P. 136. *Penetrantibus.* Kritzius accipiebat de ipso itinere Agricolae. Ita et acceperat Ianus Pan.

P. 137. *Imponite quinquaginta annis magnum diem.* Verba *quinquaginta annis* vel delenda sunt; recte enim procedit oratio: *Transigite cum expeditionibus, imponite magnum diem*; vel legendum: *imponite octo annis magnum diem.* Agricola orationem incepit: *Octavus annus est, commilitones.* Orationem optime finiret: *imponite octo annis magnum diem.* Nunc fecit numerum rotundum, et ex annis, qui proprie erant quadraginta duo, auxit *quinquaginta.* Nimia hyperbole, praesertim in Agricola. Nec pro modestia illius, ita reprehendere, quod ante suum adventum ab aliis ducibus gestum esset. Maiorem verecundiam ubique in hac caussa ostendit. Neque priores exercitus omnino culpa erant immunes. Immodestia, lascivia, seditio, interdum revera fuit caussa morae et rebellionis.

P. 128. *Finem orationis ingens alacritas consecuta est.* Ovid. Metam. XIII. 123. *Finierat Telemone satus, vulgique secutum Ultima murmur erat.*

P. 139. *Connexi velut insurgerent.* Nipperdeyus *velut connexi.*

P. 140. *Diductis ordinibus.* Eodem pertinent ista Livii XXXIII. 8. *Cetratos et Macedonum phalangem hastis positis, quarum longitudo impedimento erat, gladiis rem gerere iubet, simul, ne facile perrumperetur acies, dimidium de fronte demptum introrsus porrectis ordinibus duplicat, ut longa potius quam lata acies esset.* Omnes fere proeliorum descriptiones hominibus rei militaris imperitis plerumque intellectu sunt difficiles. Hinc, puto, accidit, ut librarii eas negligentius reddiderint, vel ad captum suum mutarint. Neminem arbitror fore, qui profiteri ausit, se intelligere, quae ex Livio attuli. Ea, manifeste turbata et corrupta, sic emendari posse indicavi. *Cetratos Macedonum gladiis, phalangem hastis proiectis, quarum longitudo impedimento erat, rem gerere iubet: simul, ne facile perrumperetur acies porrectis ordinibus, dimidium de fronte demptum introrsus duplicat, ut lata potius quam longa acies esset. Cetrati* Macedonum sunt *peltastae.* Hi cominus pugnabant. Phalanx, quae sarissis pugnare solebat, non poterat cominus rem gerere, quia sarissae, hastae longiores, pugnam in arto non tolerabant. Igitur hastas *proiiciebant, prae se obiiciebant,* ut dicit Liv. XXXVI. 18. quod Graece dicitur *προὐβάλλοντο.* Nepos in Chabria 1. *Proiecta hasta impetum excipere hostium.* cf. interpretes, et Heinsius ad Virgil. Aen. X. 587. Ceterum cura erat Philippi regis, ne sua

acies perrumperetur. Acies autem facile perrumpitur, si porrectior est quam densior, longior quam latior. Quare dimidium de fronte dempsit, frontem dimidio fecit breviorem, dimidium illud introrsus collocavit, aciem introrsus, adiecto illo dimidio, duplicavit. Ita facta est potius lata quam longa: non, potius *longa* quam *lata. Duplicat dimidium* est forma similis illi *firmat praesidia.* Crevierius et alii Livium reprehendunt, quasi tam imperitum linguae Graecae, ut non intellexerit Polybianum καταβάλλειν τὰς σαρίσσας, reddens *ponere*, cum debuisset *demittere.* Livius credo, probe intellexit. Male reddidisset *demittere;* nam *demittere hastas*, ut *demittere arma* apud Hirt. de B. Afric. 85. *demittere ensem* sim. est *hastas demittere*, cuspide humi inclinata, salutationis caussa, qualem honorem minores praestant maioribus. Macedones gerebant sarissas humeris erectas. Impetum facientes vel se defendentes, eas *proiiciebant*, ex humeris demissas protendebant, κατέβαλον atque ita προὐβάλοντο. *Ponere hastas* significat quod hodie appellamus *ponere ad pedem*, et est signum quieti et vacui militis. Livius in eodem verbo alibi corruptus est. Legimus XXXV. 35. *Ponere hastas equites Alexamenus iubet, et se intueri. Posteaquam* (rex) *appropinquabat, impetum facit, et transfixo equo tyrannum deturbat. Iacentem equites confodiunt.* Ibi Glareanus accipiebat *ponere* pro reclinare, Sigonius hastas *invadendi caussa pectori apponere.* Lego *proiicere:* Formula *pila ante pedes ponere*, ut gladiis tantum uterentur, huc minus pertinet. Cf. Liv. VI. 12. VII. 16. Hastis quidem et gladiis simul pugnare non poterant.

P. 143. *Interim equitum turmae* sq. Locus in Mss. sic legitur. *Interim equitum turmae, ut fugere covinnarii, peditum se proelio miscuere, et quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant; mieque equestres, ea enim pugnae facies erat, quum egra diu aut stante simul equorum corporibus impellerentur; ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant.* Haec alia quoque ratione emendare tentaveram: *Sed, quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant: minimeque pro nostris mutata pugnae facies erat, quum aeque diversi ac simul stantes equorum corporibus impellerentur; ac saepe vagi covinnariorum exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant.* Interim dum Batavi et Tungri, mox ceterae auxiliorum cohortes Britannos repellunt, tria millia equitum, cornibus aciei Romanae affusa, fugavere Britannos covinnarios, qui media campi strepitu et discursu complebant. Tum se immiscuere proelio peditum Romanorum et Britannorum. Inde recens quidem terror illatus est Britannis. Sed aciem eorum perrumpere non potuerunt, haerentes in locis inaequalibus et densis hostium agminibus. Ita facies pugnae erat mutata. Sed ea mutatio nobis minime favebat. Nam equites nostri ad hostes Britannos pervenire non poterant, nisi magna pars viam per medios suorum ordines rumperent. Pedites Romani quidem, quantum possent, diversi euntes, viam equitibus aperiebant, sed non omnes poterant. Sic in isto tumultu et impetu, tam qui se disiunxe-

rant, quam qui coniuncti ac simul stabant, corporibus equorum impellebantur. Accedebat altera calamitas. Nam equi covinnariorum, ab equitibus nostris fugatorum, vagi et exterriti, quippe sine rectoribus, in pedites nostros et in fronte et in latera incursabant. Mutata facies pugnae minime *erat pro nostris*, ut Agric. 32. *Omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt:* tum *aeque diversi ac simul stantes*, ut Plautus Trucul. IV. III. 13. *State diversae.* Vocem explicat Oudendorp. ad Caesar. de B. G. II. 22. *Simul stare* dicitur, ut *simul esse*, i. e. in eodem loco coniuncti, *una* stare, esse.

P. 145. *Paucitatem nostrorum vacui spernebant.* Qui pugnae expertes stant, nihil faciunt, telum in brachio tenent, ut nos dicimus, stant *quieti*. Caesar de B. C. I. 94. *Eodem tempore tertiam aciem Caesar, quae quieta fuerat, et se ad tempus loco tenuerat, procurrere iussit.* Kritzius plura complectitur, *vacui* sc. cura, timore, negotio, quo sensu idem est atque *securi*.

P. 146. *Quod ni frequens ubique Agricola — acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret.* Fortasse locus ita a Tacito erat compositus: *incautos collecti et locorum gnari circumveniebant, ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo, et, sicubi artiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare iussisset. Ceterum ubi* sq. Delevi *acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret.* Nam ibi Latinum erat non *vulnus*, sed *damnum*, *detrimentum*, *malum*. Caesar de B. C. I. 67. *Accepto aliquo detrimento.* Hirt. de B. Afric. 18. *Malo accepto.* Formula *vincere sine vulnere* huc non pertinet. Alterum illud *circumveniebant, ni iussisset*, est circumvenire cogitabant, iam incipiebant, et circumvenissent, ni Agricola iussisset sq. Sic Tacitus saepe in hoc libello loquitur; et Annal. XVI. 32. *Simul in amplexus occurrentis filiae ruebat, nisi interiecti lictores utrisque obstitissent.* Hist. III. 46. *Iamque castra legionum exscindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset.* Liv. XXXIII. 5. *Ut periculum quoque atrox subiret, ni castris exciti repente pedites equitesque subvenissent.* Cf. Kritz. ad Agric. 4. Si legitur *quod ni*, requiritur apodosis *acceptum vulnus esset.*

P. 148. *Finis sequendi nox et satietas fuit. Caesa hostium ad decem millia: nostrorum trecenti sexaginta cecidere.* Ultimum *cecidere* delendum putabam, quia *caesa* sufficiebat. Melius fortasse erat: *Finis sequendi nox et satietas fuit caedis. Hostium ad decem — cecidere.* Liv. XXVII. 49. *Victores sanguinis caedisque ceperat satias.* Iustin. XII. 6. *Postquam satiatus caede animus conquievit.* Silius Ital. IV. 110. *Nec finis satiasque, novi sed sanguinis ardor Gliscere.* Et Graeci saepe: *φόνου κορεσθείς.*

P. 151. *Nomen supra principis attolli.* Nipperdeyus: *supra principem*, quod ex usu Taciti esse putat.

P. 151. *Ducis boni imperatoriam virtutem esse.* Conieci: *ducis imperato-*

riam esse. Gloria Romanorum in aliis rebus minus nocet Imperatori, eaque tolerari potest, tamquam non sit Imperatoria; sed gloria militaris, qua dux celebratur, est *Imperatoria.* Gloria *ducis* hic non celebratur, nisi *boni* excellentis. Ergo *boni* est supervacuum. Supervacuum quoque *virtutem*, quae iam in gloria *militari* cogitetur.

P. 152. *Secreto suo satiatus.* Conieceram quoque: *Secreto suo abditus.* Tacitus Hist. IV. 86. idem de Domitiano: *in solitudinem conditus.* In *abditus est aliquid* minus honesti. Attigi ad Horat. Carm. p. 200.

P. 158. *Tot militares viri cum tot cohortibus expugnati.* Legebam: *tot illustres viri.* Exemplis adde Liv. XXXIII. 25. *Exercitum eius fusum fugatumque, et illustres viros in acie cecidisse.* Hirt. de B. Alex. 40. *Ceciderunt eo proelio splendidi atque illustres viri equites Romani.*

P. 161. *Agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii invidia.* Pulchrius putabam, deletis *beneficii invidia: agi sibi gratias passus est, nec erubuit.* Sic Ovid. Metam. VI. 45. *Sola est non territa virgo, Sed tamen erubuit.* Plinius Epist. IV. 22. de Catullo Messallino, *qui luminibus captus, ingenio saevo mala coecitatis addiderat. Non verebatur, non erubescebat, non miserebatur.* Si Tacitus aliquid addendum iudicasset, aliud addidisset, v. c. *beneficii ludibrio.*

P. 162. *Proprium humani ingenii est odisse, quem laeseris.* Fortasse legendum: *Proprium est mali ingenii odisse quem laeseris;* ut proprium est boni ingenii conciliare sibi quem laeserit. Scribebatur *propriumani.* Nota est veterum sententia, quam expressit Grotius Epist. a. 1685. *Illi homines, qui me oderunt implacabiliter, quia sine caussa oderunt.*

P. 162. *Domitiani vero natura, praeceps in iram et quo obscurior eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur. Natura,* ingenium, indoles Domitiani non leniebatur. Manebat eadem. Sed, quamquam Domitianus erat natura praecipiti in iram, et, si irae non statim indulgeret, irae eo magis memor, tamen in Agricola erat lenior. Iram certe in annum octavum distulit. Tunc securus erat odii. Legendum videtur. *Domitianus vero, naturâ praeceps in iram — leniebatur.* Domitiani *natura* et ipse *Domitianus* in hac sententia non plane sunt eadem.

P. 163. *Per abrupta.* Ovid. Metam. XIII. 578. *Si quid adhuc audax, ex praecipitique petendum.*

P. 165. *Nobis nihil comperti, affirmare ausim.* Nipperdeyus: *Nobis nihil comperti. Nec aut negare aut affirmare ausim.*

P. 167. *Excessit quarto et quinquagesimo anno, decimo Kalendas.* Melius hic adderetur: *quarto et quinquagesimo* aetatis *anno.*

P. 168. *Nihil metus in vultu.* Ex scriptura Vatic. *nihil impetus* conieceram *nihil imperatorii* vel *imperatoris.* Exemplis allatis adde Ovid. Metam. VI. 713. *Cetera qui matris, pennas genitoris haberent.* Hirt. de B. Afric. 10. *Neque quidquam solatii in praesentia, neque auxilium in suorum consilio animum advertebant, nisi in ipsius imperatoris vultu, vigore, mirabilique hilaritate. Animum enim altum et erectum prae se gerebat.*

P. 168. *Bonum virum facile crederes* sq. Multa a librariis hic esse traiecta et permutato ordine valde confusa arbitror. Verus ordo rerum et verborum, in quo alterum ex altero sine impedimento prodit, hic est: *Bonum virum facile crederes, magnum libenter. Opibus nimiis non gaudebat: quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et modicae contigerant. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit: et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito, quid aliud adstruere fortuna poterat? Filia atque uxore superstitibus* sq.

P. 172. *Ac principem Traianum videre.* Ianus Pan ista pro spuriis habet.

P. 172. *Festinatae mortis grande solatium tulit evasisse.* Moriens secum fert solatium petitum ex re aliqua, quam sentit et videt, non quae post mortem illius accidit. Ovid. Metam. V. 70. *at ille Iam moriens, oculis sub nocte natantibus atra, Circumspexit Athin, seque acclinavit in illum: Et tulit ad manes iunctae solatia mortis.* Lucan. VIII. 314. *magna feram solatia mortis Orbe iacens alio.* Silius Ital. IX. 140. *Sat magnum hoc miserae fuerit mihi cardine vitae. Solamen cavisse meis.* Tacitus, ut vitasset hoc et alia ambigua, scribere quoque potuerat: *ita festinatae mortis grande nobis solatium attulit, eum evasisse postremum illud tempus.*

P. 175. *Intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat.* Veteres editiones: *intra Albanam arcem vilam,* de quo Lips. et Ernestus exposuerunt. Hic coniicit fuisse *Albanum,* quod alios in margine interpretatos *arcem,* alios *villam.* Fortasse hinc legi poterat: *intra Albanum crudelis sententia Messalini strepebat.* Plinius Epist. IV. 22. eius *sententias sanguinarias* vocat: *strepebat* ad contemptum dicitur, pro *audiebatur.* Qui sententiam strepit, eam non explicat verbis compositis nec voce sedata.

P. 176. *Miseriarum pars erat videre.* Ovid. Metam. IX. 291. *Pars est meminisse doloris.*

P. 177. *Rubor, quo se contra pudorem muniebat.* Rivarollus, vir doctus, cuius multa feruntur acute dicta et laudantur, hoc Taciti non ignorasse vi-

detur: „à propos du visage bourgeonné du duc d'Orleans, il remarquait, que la débauche l'avait dispensé de rougir.

P. 179. *Nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est.* Adde Ambros. Serm. I. in Psalm 118. *An putas te primum intrare in meritorium, cum fornicem meretricis ingrederis? Intrasti iam, quando cogitationes tuas meretrix intravit.*

P. 181. *Virtutum — quas neque lugeri neque plangi fas est.* Lugemus et plangimus mortuum. Virtutes tuae, tu nobis non ereptus es. Nam vivis. Te contemplamur, te tenemus. *Lugere et plangere, luctu plangere, plangi* sim. nota sunt, ut Graeca *κόπτεσθαι καὶ θρηνεῖν*, quod interpretes explicaverunt ad Euang. Lucae XXIII. 27 sq. *Ἠκολούθει δὲ αὐτῷ πολὺ πλῆθος τοῦ λαοῦ καὶ γυναικῶν, αἳ ἐκόπτοντο καὶ ἐθρήνουν αὐτόν. στραφεὶς δὲ πρὸς αὐτὰς Ἰησοῦς εἶπε· θυγατέρες Ἱερουσαλὴμ, μὴ κλαίετε ἐπ' ἐμὲ, πλὴν ἐφ' ἑαυτὰς κλαίετε καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ὑμῶν· ὅτι ἰδοὺ, ἔρχονται ἡμέραι ἐν αἷς ἐροῦσι· μακάριαι αἱ στεῖραι, καὶ αἱ κοιλίαι αἳ οὐκ ἐγέννησαν, καὶ μαστοὶ οἳ οὐκ ἔθρεψαν. τότε ἄρξονται λέγειν τοῖς ὄρεσι· πέσετε ἐφ' ἡμᾶς, καὶ τοῖς βουνοῖς· καλύψατε ἡμᾶς. ὅτι εἰ ἐν τῷ ὑγρῷ ξυλῷ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γένηται;* Postrema illa quid hoc loco significent, dictu sane est difficillimum. Hinc multae interpretationes. Nec defuere, qui putarent, his verbis magis inesse duram et amaram mulierum reprehensionem, quam amicam admonitionem, quae mansueto et misericordi animo Iesu erat propria. Transpone verba ista, et lege statim post vs. 27, et fortasse mecum egregiam totius loci sententiam videbis: *Ἠκολούθει δὲ αὐτῷ πολὺ πλῆθος τοῦ λαοῦ καὶ γυναικῶν, αἳ ἐκόπτοντο καὶ ἐθρήνουν αὐτόν· ὅτι, εἰ ἐν ὑγρῷ ξυλῷ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γένηται. στραφεὶς δὲ πρὸς αὐτὰς Ἰησοῦς κ. τ. λ. Sequebatur autem illum multa turba populi et mulierum, quae plangebant et lamentabantur eum: (dicentes) si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* Sunt verba mulierum, tam intellectu facilia, quam difficilia, si Iesus locutus esset. Ingens hominum multitudo sequebatur Iesum. Hoc semper fiebat, et fit, si quis ad mortem ducitur. Multi sine dubio fuere, qui Iesum iure condemnatum putarent, multi quoque, qui innocentem. „Et plerique mortales, ut ait Caesar apud Sallust. B. C. 51, postrema meminere, et in hominibus impiis sceleris obliti de poena disserunt, si ea paullo severior fuit." Quantam vero oportet fuisse miserationem mulierum, earumque Orientalium et Iudaearum! Iesus erat iuvenis, forma decora, inusitatae cuiusdam maiestatis plena. magister praeceptis et exemplo, qualem nemo unquam viderat. Nulla, puto, mulier sibi non persuaserat, hunc iuvenem esse innocentem. Eum igitur vehementer deplorant, et saevitiam iudicum detestantur, qui et supplicium et adeo crudele sumere potuissent. Erat quasi una omnium vox: Hoc si faciunt in innoxio, quid fiet in noxio! Tales sententiae sunt: Terent. Andr. I. I. 116. *Nam, si illum obiurges, vitae qui auxilium tulit; Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum.* Cicero pro Cluentio 41.

Si innocens Falcula, quaero, quis nocens? In Verr. I. 10. *Quid faceres pro homine innocente, et propinquo, cum propter hominem perditissimum atque alienissimum, de officio ac dignitate decedis?* Catullus: *Quid faciant hostes capta crudelius urbe?* Valer. Max. V. 1. *Si eos, qui nos amant, interficimus, quid his faciemus, quibus odio sumus?* Post verba ἐκόπτοντο καὶ ἐθρήνουν, ὅτι cogitatur λέγουσαι, *dicentes*, quod optimi interpretes librorum sacrorum in quavis lingua saepe perspicuitatis causa in parenthesi addiderunt. Oratio praesertim sequente ὅτι ex indirecta fit directa. *Mulieres lamentabantur*. Lamentabantur autem pleraeque in hunc modum, dicentes: si haec faciunt sq. Virgil. Aen. V. 614. *Pontum adspectabant flentes: heu tot vada fessis Et tantum superesse maris.* Ovid. II. 657. *Et cantant laudes, Termine sancte, tuas: Tu populos urbesque, et regna ingentia finis.*

INDEX SCRIPTORUM

QUI IN ANNOTATIONE TRACTANTUR.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Iam nova editione Agricolae Tacitini feliciter absoluta, nihil habeo, quod addam, nisi ingentes gratias veteri amico Ioanni Theodoro Bergmanno, pro singulari benevolentia et studio, quae mihi hic quoque praestare non noluit. Titulus libri, quem amicus Ianus Pan (vid. p. 192.) olim scripsit, accuratius referri meretur, nempe: Dissertatio Iuridica Inauguralis *de Grati animi officiis atque ingratorum poena, iure Attico et Romano*, quam pro gradu doctoratus summisque in utroque iure honoribus ac privilegiis in Universitate Regia Hollandiae Eruditorum examini submittit Ianus Pan. Enchusa-Hollandus. a. d. XVII Nov. MDCCCIX.